δὲ μὴ ὑποπίπτοντα οὐκ ἐστὶν ἐν τοῖς εἴδεσι τῆς οὐσίας.

τούτῳ

τούτῳ τῷ λόγῳ κολακευόμενος ὑπὸ Πυθα-
γόρου, τέθρημμαι, ὅτι τὸ πᾶν ἢ τὸ πλεῖστον τοῦ
ἀνθρώπῳ μένει. ἀλλαχόθεν δέ μοι Θαλῆς τὴν
ἀλήθειαν νεύει, ὁριζόμενος ὕδωρ τοῦ παντὸς ἀρ-
χήν, καὶ ἐκ τοῦ ὑγροῦ τὰ πάντα συνίστασθαι, καὶ
εἰς ὑγρὸν ἀναλύεσθαι, καὶ ἡ γῆ ὑπὲρ ὕδατος ὀχεῖται.
διατί τοίνυν μὴ * πειθῶ Θαλῇ τῷ πρεσβυτέ- πειθῶ
ρῳ τῶν Ἰώνων; ἀλλ' ὁ πολίτης αὐτοῦ Ἀναξίμανδρος
τοῦ ὑγροῦ πρεσβυτέραν ἀρχὴν εἶναι λέγει τὴν ἀΐ-
διον κίνησιν, καὶ ταύτῃ τὰ μὲν γεννᾶσθαι, τὰ δὲ φθεί-
ρεσθαι. ἤδη τοίνυν πιστὸς Ἀναξιμάνδρος ἔστω, καὶ
μὴν οὐκ * εὐδοκιμεῖν Ἀρχέλαος, ἀποφαινόμε- εὐδοκιμεῖ
νος τῶν ὅλων ἀρχὰς θερμὸν καὶ ψυχρόν; ἀλλὰ
καὶ * τούτου πάλιν ὁ μεγαλόφωνος Πλάτων τούτῳ
οὐχ ὁμολογεῖ, λέγων ἀρχὰς εἶναι θεὸν καὶ ὕλην,
καὶ παράδειγμα. νῦν μὲν καὶ δὴ πέπεισμαι. * πῶς πῶς γὰρ οὐ;
γὰρ οὐ μέλλω πιστεύειν φιλοσόφῳ ὃς τοῦ Διὸς ἅρ- μέλλων
μα πεποιηκότι; κατόπιν δὲ αὐτοῦ μαθητὴς Ἀρι-
στοτέλης ἕστηκε, ζηλοτυπῶν τὸν διδάσκαλον τῆς
ἁρματοποιίας. οὗτος ἀρχὰς ἄλλας ὁρίζεται, τὸ
ποιεῖν, καὶ τὸ πάσχειν· καὶ τὸ μὲν ποιοῦν ἀπαθὲς εἶναι,
τὸν αἰθέρα· τὸ δὲ πάσχον ἔχον ποιότητας τέσσα-
ρας, ξηρότητα, ὑγρότητα, θερμότητα, ψυχρό-
τητα. τῇ γὰρ τούτων εἰς ἄλληλα μεταβολῇ πάν-
τα γίνεται καὶ φθείρεται. * κεκμήκαμεν ἤδη κέκμηκα δὴ

μεταβαλλόμενος ✝ μεταμελόμενοι ἄνω καὶ κάτω τοῖς δόγμασι, πλὴν *ἔτι γε τῆς ἀριστοτέλους γνώμης στήσομαι, καὶ μηκέτι μοι μηδὲ εἷς λόγος ὀχλείτω. ἀλλὰ τί δὴ τὰ πάθοιμ' ἄν; νευροκοποῦσι γάρ μου τὴν ψυχὴν ἀρχαιότεροι τούτων γέροντες. φερεκύδης μὲν ἀρχὰς εἶναι λέγων ζῆνα, καὶ χθονίην, καὶ κρόνον. ζῆνα μὲν τὸν αἰθέρα, χθονίην δὲ τὴν γῆν· κρόνον μὲν τὸν χρόνον. ὁ μὲν αἰθὴρ τὸ ποιοῦν, ἡ δὲ γῆ τὸ πάσχον, ὁ δὲ χρόνος ἐν ᾧ τὰ γινόμενα. *ζηλοτυπεῖ τοίνυν τῶν γερόντων πρὸς ἀλλήλους. ταῦτα γὰρ πάντα ὁ λεύκιππος λῆρον ἡγούμενος, ἀρχὰς εἶναι φησὶ τὰ ἄπειρα, καὶ ἀκίνητα, καὶ ἐλάχιστα· καὶ τὰ μὲν λεπτομερῆ ἄνω χωρήσαντα, πῦρ καὶ ἀέρα γενέσθαι· τὰ δὲ παχυμερῆ κάτω ὑποστάντα, ὕδωρ καὶ γῆν. μέχρι που τὰ τοιαῦτα διδάσκομαι, μηδὲν ἀληθὲς μανθάνων; πλὴν εἰ μή τί γε δημόκριτος ἀπαλλάξει με τῆς πλάνης, ἀποφαινόμενος ἀρχὰς τὸ ὂν, καὶ τὸ μὴ ὄν· καὶ τὸ μὲν ὂν πλῆρες, τὸ δὲ μὴ ὂν κενόν· τὸ δὲ πλῆρες ἐν τῷ κενῷ τροπῇ, ἢ *ῥυθμῷ ποιεῖ τὰ πάντα, ἴσως ἂν πεισθείην τῷ καλῷ δημοκρίτῳ, καὶ βουλοίμην ἂν σὺν αὐτῷ γελᾶν, εἰ μὴ μεταπείθοι μὲν

*ἐπίγε

ῥυσμῷ

* μὲν ἡράκλειτος, κλαίων ὁμοῦ καὶ λέγων, ἀρχὴν τῶν ὅλων τὸ πῦρ. δύο δὲ αὐτοῦ πάθη, ἀραιότης καὶ πυκνότης. ἡ μὲν ποιοῦσα, ἡ δὲ πάσχουσα· ἡ μὲν συγκρίνουσα, ἡ δὲ διακρίνουσα· ἱκανῶς ἔχει μοι, καὶ ἤδη μεθύω ταῖς τοσαύταις ἀρχαῖς· ἀλλά με παρακαλεῖ κακεῖσθαι ἐπίκουρος, μηδαμῶς ὑβρίσαι τὸ καλὸν αὐτοῦ δόγμα, τὴν ἀτόμους καὶ τὸ κενοῦ. τῇ γὰρ τούτων συμπλοκῇ πολυτρόπῳ καὶ πολυσχηματίστῳ τὰ πάντα γίνεται καὶ φθείρεται, οὐκ ἀντιλέγω σοι βέλτιστε ἀνδρῶν ἐπίκουρε· ἀλλ' ὁ κλεάνθης ἀπὸ τοῦ φρέατος ἐπάρας τὴν κεφαλὴν, καταγελᾷ σοῦ τοῦ δόγματος, καὶ αὐτὸς * ἀνειμᾷ τὰς ἀληθεῖς ἀρχὰς, θεὸν καὶ ὕλην· καὶ τὴν μὲν γῆν μεταβαλεῖν εἰς ὕδωρ, τὸ δὲ ὕδωρ εἰς ἀέρα, τὸν δὲ ἀέρα * φέρεσθαι, τὸ δὲ πῦρ εἰς τὰ περίγεια χωρεῖν, τὴν δὲ ψυχὴν δι' ὅλου τοῦ κόσμου διήκειν, ἧς μέρος μετέχοντος ἡμᾶς ἐμψυχοῦσθαι. τούτων τοίνυν τοσούτων ὄντων, ἄλλο μοι πλῆθος ἀπὸ λιβύης ἐπιῤῥεῖ, καρνεάδης, καὶ κλιτόμαχος, καὶ ὅσοι τούτοις ὁμιλοῦσι, πάντα τὰ τῶν ἄλλων δόγματα καταπατοῦντες· αὐτοὶ δὲ ἀποφαινόμενοι διαῤῥήδην ἀκατάληπτα εἶναι τὰ πάντα,

με

ἀνιμᾷ

nihili καὶ * ἀεὶ τῇ ἀληθείᾳ φαντασίαι ἀεὶ πείθεσθαι ψευδῆ. τί τοίνυν πάθω τοσούτῳ χρόνῳ ταλαιπωρήσας; πῶς δὲ μοῦ τῆς γνώμης ἐκχέω τὰ τοσαῦτα δόγματα; εἰ γὰρ μηδὲν εἴη καταληπτόν, ἀλήθεια μὲν ἐξ ἀνθρώπων οἴχεται. ἡ δὲ ὑμνουμένη φιλοσοφία, σκιομαχεῖ μᾶλλον ἢ τῶν ὄντων ἐπιστήμην ἔχει. ἄλλοι τοίνυν ἀπὸ τῆς παλαιᾶς φυλῆς, πυθαγόρας δὲ οἱ τούτου συμφυλέται, σεμνοὶ καὶ σιωπηλοί, παραδιδόασιν ἄλλα μοι δόγματα, ὥσπερ μυστήρια. καὶ τοῦτο δὴ τὸ μέγα καὶ ἀπόρρητον τὸ αὐτὸς ἔφη, ἀρχὴ τῶν πάντων ἡ μονάς· ἐκ δὲ τῶν σχημάτων αὐτῆς, καὶ ἐκ τῶν ἀριθμῶν τὰ στοιχεῖα γίνεται. καὶ τούτων ἑκάστου τὸν ἀριθμόν, καὶ τὸ σχῆμα, καὶ τὸ μέτρον οὕτω πως ἀποφαίνεται· τὸ μὲν πῦρ ὑπὸ τεσσάρων καὶ εἴκοσι τριγώνων ὀρθογωνίων συμπληροῦται, τέσσαρσιν ἰσοπλεύροις περιεχόμενον. ἕκαστον * ἰσόπλευρον σύγκειται ἐκ τριγώνων ὀρθιγωνίων ἕξ, ὅθεν δὲ καὶ πυραμίδι προσεικάζουσιν αὐτό. ὁ δὲ ἀὴρ ὑπὸ τεσσαράκοντα ὀκτὼ τριγώνων συμπληροῦται * περιεχόμενον ἰσόπλευρος ὀκτώ. εἰκάζεται δὲ ὀκταέδρῳ, ὃ περιέχεται ὑπὸ ὀκτὼ τριγώνων ἰσοπλεύρων, ὧν ἕκαστον εἰς ἓξ ὀρθογώνια διαιρεῖται, ὥστε γίνεσθαι τεσσαράκοντα ὀκτὼ τὰ πάντα. τὸ δὲ ὕδωρ

δὲ (margin, beside "περιεχόμενον. ἕκαστον")

ὑπὸ

ὑπὸ ἑκατὸν εἴκοσι περιεχόμενον, εἰκάζεται δὲ εἰκοσαέδρῳ, ὃ δὴ συνέστηκεν ἐξ ἴσων καὶ ἰσοπλεύρων τριγώνων * εἴκοσι ς δὲ καὶ ρκ. ὁ δὲ αἰθὴρ συμπληροῦται δώδεκα πενταγωνίοις ἰσοπλεύροις, καὶ ὅμοιός ἐστι δωδεκαέδρῳ. ἡ γῆ συμπληροῦται ἐκ τριγώνων μὲν η καὶ μ. περιέχεται δὲ καὶ τετραγώνοις ἰσοπλεύροις ἕξ. ἔστι δὲ ὅμοια κύβῳ· ὁ γὰρ κύβος ὑπὸ ς τετραγώνων περιέχεται, ὧν ἕκαστον εἰς δ τρίγωνα ὥστε γίνεται τὰ πάντα κδ. τὸν μὲν δὴ κόσμον ὁ Πυθαγόρας * μετρεῖ. ἐγὼ δὲ πάλιν ἔνθεος γενόμενος, τῆς μὲν οἰκίας καὶ πατρίδος, καὶ τῆς γυναικὸς, καὶ τῶν παιδίων καταφρονῶ, καὶ τούτων οὐκέτι μοι μέλει. εἰς δὲ τὸν αἰθέρα αὐτὸν αὐτὸς ἀνέρχομαι, καὶ τὸν πῆχυν παρὰ Πυθαγόρου λαβὼν, μετρεῖν ἄρχομαι τὸ πῦρ. οὐ γὰρ ἀπόχρη μετρῶν ὁ Ζεύς· * ἀλλὰ μὴ ἐγὼ τὸ μέγα ζῶον, τὸ μέγα σῶμα, ἡ μεγάλη ψυχὴ, αὐτὸς εἰς τὸν οὐρανὸν ἀνέλθοιμι, καὶ μετρήσαιμι τὸν αἰθέρα, οἴχεται ἡ τοῦ Διὸς ἀρχή. ἐπειδὰν δὲ μετρήσω, καὶ ὁ Ζεὺς παρ' ἐμοῦ μάθη, πόσας γωνίας ἔχει τὸ πῦρ· πάλιν ἐξ οὐρανοῦ καταφαίνω, καὶ φαγὼν ἐλαίας καὶ σῦκα καὶ λάχανα, τὴν ταχίστην ἐπὶ τὸ ὕδωρ στέλλομαι, καὶ τῷ πήχει καὶ δακτύλῳ καὶ ἡμιδακτύλῳ μετρῶ τὴν ὑγρὰν οὐσίαν, καὶ τὸ βάθος αὐτῆς ἀναμετρῶ, ἵνα καὶ

[Margin notes: εἴκοσι ἑξάκις· εἰσὶ δὲ ρκ. — τοῦτον τὸν τρόπον, ἤσ- τιν — ἀλλ' ἂν μὴ]


ποσειδῶνα διδάξω, πόσης ἀρχῆς θαλάσσης. τὴν μὲν γῆν ἅπασαν ἡμέρᾳ μιᾷ περιέρχομαι, συλλέγων αὐτῆς τὸν ἀριθμὸν καὶ τὸ μέτρον, καὶ τὰ σχήματα. πέπεισμαι γὰρ, ὅτι τοῦ κόσμου παντὸς οὐδὲ σπιθαμὴν ἀπέχω, τοιοῦτος καὶ τηλικοῦτος ὤν. οἶδα δὲ ἐγὼ καὶ τῶν ἀστέρων τὸν ἀριθμὸν, καὶ τῶν ἰχθύων, καὶ τῶν θηρίων, καὶ ζυγῷ τὸν κόσμον ἱστὰς, εὐκόλως τὸν σταθμὸν αὐτοῦ δύναμαι μαθεῖν. ἀμφὶ μὲν δὴ ταῦτα μέχρι νῦν ἐσπούδακεν ἡ ψυχή μου, τῶν ὅλων ἄρχειν.
παρακύψας * προσκύψας δέ μοι φησὶν ἐπίκουρος, σὺ μὲν δὴ κόσμον ἕνα μεμέτρηκας, ὦ φιλότη· εἰσὶ δὲ κόσμοι πολλοὶ καὶ ἄπειροι. πάλιν οὖν ἀναγκάζομαι εἰπεῖν οὐρανοὺς πολλοὺς, αἰθέρας ἄλλους, καὶ τούτους πολλούς. ἄγε δὴ μηκέτι μέλλων ἐπισιτισάμενος ὀλίγων ἡμερῶν εἰς τοὺς ἐπικουρείους κόσμους ἀποδήμησον. τὰ μὲν οὖν πέρατα τηθύος καὶ ὠκεανὸν εὐκόλως ὑπερίπταμαι. εἰσελθὼν δὲ εἰς κόσμον καινὸν, καὶ ὥσπερ εἰς ἄλλην πόλιν, μετρῶ τὰ πάντα ὀλίγαις ἡμέραις. κἀκεῖθεν ὑπερβαίνω πάλιν εἰς ϛ κόσμον. εἶτα εἰς τέταρτον, καὶ πέμπτον, καὶ δέκατον, καὶ ἑκατοστὸν, καὶ χιλιοστὸν, καὶ μέχρι ποῦ; ἤδη γάρ μοι σκότος ἀγνοίας ἅπαντα, καὶ ἀπάτη μέλαινα, καὶ ἄπειρος πλάνη, καὶ ἀτελὴς φαντασία,

καὶ

καὶ ἀκατάληπτος ἄγνοια. πλὴν εἰ * μέλλων μέλλω
* κατὰ τὰς ἀτόμους αὐτὰς ἀριθμεῖν, ἐξ ὧν οἱ το- καὶ
σοῦτοι κόσμοι γεγόνασιν, ἵνα μηδὲν ἀνεξέταστον
παραλείπω· μάλιστα τοῦ οὕτω ἀναγκαίων καὶ ὠφε-
λίων ἐξ ὧν οἶκος ἢ πόλις * εὐδαιμονᾷ. ταῦ- εὐδαιμονεῖ
τα μὲν οὖν διεξῆλθον, βουλόμενος δεῖξαι τὴν
ἐν τοῖς δόγμασιν οὖσαν αὐτῶν ἐναντιότητα, καὶ
ὡς εἰς ἄπειρον αὐτοῖς καὶ ἀόριστον πρόεισιν ἡ ζή-
τησις τῶν πραγμάτων, καὶ τὸ τέλος αὐτῶν
ἀτέκμαρτον, καὶ ἄχρηστον, ἔργῳ μη-
δενὶ προδήλῳ καὶ λόγῳ σα-
φεῖ βεβαιούμενον.

ΤΕΛΟΣ.

CYDONII, DE CONtemnenda morte, Oratio, Raphaele Seilero Augustano interprete.



Nimi à corpore discessum, quem mortẽ nominare solemus, cum omnes perhorrescãt, omnes oderint, omnes omnium malorum perniciosissimum ducant: tamen si ex eis quæras, qua ratiõe adducti, eam tantopere auersentur, causam habere sibi uidentur, & ijs qui eo dem modo sunt affecti, citra negotiũ persuadent, quemadmodũm ignaui, qui timidos à bellis deterrent. Nam cum affectionis similitudo fidem eis conciliet, facilimè auditores in suam sententiam adducunt. Sed si apud uiros eandem criminationẽ instituant, nullam opinionis suæ rationem probabilem reddere possunt. Sed morbũ animi sui, inscitia & mollitie laborantis indicant: quibus adducuntur, ut ea quæ timenda non sunt, timeant, & ijs quæ nihil nocent, percellantur. Agè uerò

uerò uideamus, quibus de causis mortem omnia alia mala superare putent. Vt autem prouerbio dicitur, Trifariã omnia esse diuisa: ita fit, ut eorum etiã qui mortem uituperant, tria sint genera. Nam promptissimi quiq;, ac potius ueracissimi, qui sua probra uelare nesciunt, omnis generis uoluptatum priuationẽ lamentantur: & quod eas delet, omnium meritò & molestissimum & maximè formidabile existimant. Vrbaniores autem, & quos pudet sine causa aut agere, aut admittere quicquã, id à natura cunctis insitum aiunt, ut se & esse & uiuere cupiant. Iam uerò quod id aufert, quod ab omnibus appetitur, atq; efficit ut ea quæ sunt, non sint, & perniciem affert, & rebus tanta pulchritudine à natura comparatis, caliginem ex interitu offundit, quis nõ horreat? quis non oderit? quis, si duntaxat nominetur, tanquam naturæ inimicum non abominetur? Neque uerò naturæ solum, uerùm, ac multò magis, etiam Deo: nõ

co

eo tantum, quòd solus absolutissimā immortalitatem sortitus est, sed quòd eius instituto, omniū maximè aduersatur: siquidem quæ ipse procreare & conseruare studet, ea mors extinguit & dissipat. Hæc modestiores, quiq; naturam sequuntur, ad iusti odij com probationem. Reliqui autē & tertij, qui cū grauiores sint, & saniore mente præditi, & alijs aliquid prudentius considerare uelint, nō ob ea quæ com memorauimus, mortem in crimen uo candam censent, sed quòd post eam, confestim uitæ actæ rationē reddere, & acerbissimas ac tristissimas pœnas in perpetuum dare cogamur. Quarū expertes futuri essemus, nisi mors ani mos à corporibus auelleret, & ad illius loci leges ac quæstiones mitteret. His igitur uerbis quidā & sibi & auditoribus timore iniecto, tū ipsi mortis nomine perturbantur, tum alijs persuadent ut sint metus socij. Videamus ergo, utrum uerè aliquid dicant, & honestum sit uirum eum appellare, qui

qui huiusmodi sermonibus se dedat. Primos itaq;, ut nimium uoluptarios & molles, ideoq; uirilium bellorum imperitos, paruæ operæ est ad deditionem compellere: quamuis & multos socios habeant, & cum multis nos inuadant. Omnes enim qui Epicuro nomina dederunt, suauem uitam, & quæ cruciatu uacat, humanæ felicitatis finem existimant: & difficile inter homines ullũ inuentu esse aiunt, qui reuera absq; uoluptate uiuere uelit, nisi quis ob stuporem à cõmunissimo bono abhorreret. Tamen rectè eis dicere possimus: O' uiri (si modò hoc nomine appellãdi estis, qui adeò dissoluti et eneruati, stolidiq; omnino sitis) ut nimium pueriliter in eo facitis, cum uoluptatibus tantum boni iudicium permittitis. Si quid autem cum molestia prodesse queat, id uituperetis, & quouis modo effugere studeatis: tametsi nihil aliud habeatis reprehendendũ, nisi illud solum, q; sensum nõ demulceat. Quid enim uetat, medicos

dicos quoq; ijsdem rationibus crimi-
nari, qui corporibus nō aliter succur-
runt quàm cogendis ęgrotis, ut res insua-
ues & comedāt & bibant, & tangant,
& modis omnib. tractent? Quibus eo
quòd hoc modo molesti nobis sint, &
magnas mercedes pendimus, & de-
bere illis, tum nos ipsi, tum ij quibus
curæ sumus, prædicamus. Quibus si
ad solam uoluptatem omnia referri o-
porteret, qui'nam inimiciores appel-
lari deberent? Verùm mea quidem
sententia res bonæ & malæ non dolo
re & uoluptate, sed utilitate & noxa
iudicandæ sunt. Si uero ad uoluptatē
cuncta referemus, incommodabit, id
quod dixi, corpori medicus, & maxi-
mè nocebunt animo leges, & institu-
tores, & parentes, deniq; preciosissi-
ma & utilissima quæq;. Ii enim om-
nes cum frustra officij cōmonent, con
tumacibus molestissimi fiunt, igno-
minia mulctando, & in carcerē con-
ijciendo, & diuturno supplicio affici-
endo: quorum nullū nobis esset com-
modum,

modum, si quouis modo ocium illud amplecteremur. Sed cinædos, lenones, adulatores, quicq; flagitia tum ipsi exercent, tum alijs inde uoluptates conciliant, opportunos scilicet nobis ipsis iudicabimus, si ubicq; uoluptates dominentur. Primùm igitur illud leuitatis putandum est, deplorare uoluptatũ priuationem: tanquã pueri, cum magistri talos, aut aliud quippiam ludicrum illis eripiunt. Deinde quærendum, quibus adimẽdis uoluptatibus, mors tam grauis sit. Cum autem hæc quocq; in tres partes diuidantur, unã quidem & primam & maximè diuinam, & quæ sola hominis est, & propter semetipsam expetenda (eam autem dico, quæ in ueritate indaganda uersatur, et in mente posita est, & quæ sunt eiusdem generis) tantũ abest ut mors perdat, uel minima ex parte diminuat, ut nullo modo fieri posit, ut illis uoluptatibus purè & securè perfruamur, nisi post mortem. Atq; hoc incredibile fortaßis uidebitur homi-

nibus temere uiuentibus, cũ omnium uerissimum sit ijs, qui non sine adhibita exploratione de rebus decernunt. Et à nobis etiam ipsis patrocinium nihilo minus adhibebitur, cum in eam inquiremus. Reliquũ ergo est, morientes corporearũ uoluptatum iacturam facere. Verumetiam harum magnum est discrimen. Nam aliæ & naturæ opus sunt, & à Deo concessæ, uel particulares res per eas conseruante, uel id cõmunibus formis machinante, ut durent & maneant, atq; id propositum habente, ut per successionem ijs quæ oriuntur & intereunt, immortalitatem per instauratione cõciliet: quippe cum ea quæ composita sunt, longo tempore durare nequeant. Hæ autem sunt, quæ ad generationem prosunt, & ad sobolis propagatione animantia uoluptatibus prouocant: & quæ uictus appetitionem acuentes, ea quæ nutriri possunt, ad alimoniã mouent: & sic quod indies decedit, implent, ac uitã dum licet propagant. Nemo enim uel
ad

ad mensam accessisset, uel procreãdæ soboli animum adiecisset, si ad eas res cum molestia fuisset accedendũ. Verùm naturæ stimulus, intrinsecus impellens, non sinit naturæ cursum præteriri. Hæ ergo, ut dixi, uoluptates, Dei & naturæ sancitæ legibus, nullam iure reprehensionem incurrunt, modò ratione aptentur: nec ordine perturbato, illius frenos respuentes, aurigam præcipitent, atque in belluarum mores deprimant. At uerò aliud etiam in nobis uoluptatum genus existit, cuius culpa nec Deo, nec naturæ ascribenda est, sed ultrò in nobis ortũ, quẽadmodũ ij qui ex satis serpentis dentibus extiterunt, quodque nostra inscitia aut socordia excolitur, dum natura nõ ut decet & secundũ rationem utimur, quod quidem dominatum sibi uendicat, & quod diuinã ac sapientiæ studiosam animi partem solum mutare cogit, quodque animi arce, tanquam sæuus aliquis tyrannus, occupata, hominem & rempublicã eius, exilio & seditione;

Innuit clàm Atheniensiũ comitia, quib: opulentiores, qui ob nimias diuitias in tyrannidis suspicionẽ ueniebãt, exulatũ mittebant.

ne & confusione implet. Neq; amplius concedit eum, in quem tyrannidem exercet, hominē esse: sed belluā quandam multiformem, & monstrosam, donec & Deo & sibijpsi et necessarijs inutilem effecerit eum, qui semel captus sit, qui pro uoluptatum amicitia libertatē uendat, & se per omnem ætatem illis seruiturū profiteatur. Ac harum uoluptatū priores necessarias esse, homines modesti pronunciant: ciborum præsertim, & potionum, & quibus corpus tum alitur, tum sine quibus consistere nō potest. Atq; etiam eas quæ in cōmiscendis corporibus uersantur, tāquam quæ ad generis cōseruationem faciant, quæq; solæ humanæ naturæ id præstent ut semper & uno eodemq; modo se habeat, in huius necessitatis societatem admiserunt: existimantes, quod singulis uictus est, hoc idem has uoluptates præstare, respectu uniuersi. reliquas autem, turpes & impuras, & beluinas: non'ne uerò eas turpissimas nomināt, in quibus deprehensos,
&

& leges mulctant, & eos qui eis succũbũt, dedecus, omniumq́ probra comitantur? Ob utrarum igitur uoluptatũ ablationem, rerum omnium molestissimarũ, quæ hominibus accidunt, mortem grauissimam putant? Nunquid ob posteriores mors iurè accusabitur? Cur uerò, cũ humanã uitam tanta corruptela liberet, et naturæ rationi prædite auxilietur, eamq́ brutorũ consuetudine contumeliosè uexari non sinat? Quid enim turpius, aut magis brutũ, homine ad solam uoluptatem propenso? atq; rerũ honestarũ & preciosarum penitùs oblito? qui ne homo quidẽ deinceps uocari debet, sed portentosa bestia, quales in fabulis describũtur, qui aspectu duntaxat falsam hominis præ se ferat speciem. Nam qua ratione, iure, homo dicetur, cui solum quid edere, quid bibere uelit, curæ est: de ratiocinando autem, & sciendo, planè sit securus? Nam is porcis rectius comparabitur, quos pabulo affatim præbendo saginantes, mactamus. Imò porcis

inutiliores etiã existimãdi sunt. Sæpe enim porcorũ sagina frui licet. Viri autem sese carne onerantis nullus usus est: nisi alios quispiam castigare uolẽs, de eo uerba faciat, atque in eo luxuriæ dedecus ostendat. Quemadmodum Lacedæmonij feruntur, per Helotum ebrietatem, liberis, sobrietatis præstantiam demonstrasse. Quid uerò de inanis laboris istius infinitate dicemus? & de necessitate quotidie implendi perforati dolij? quam pœnam Danai filiabus irrogatã esse, nescio ob quod scelus in maritos suos cõmissum, fabulæ perhibent. Nunquid adhuc mors accusanda est, cum uoracem aliquem hominem tollit, & uitam tam inutili pondere liberat: quem etiam dum uiuere uideretur, rectius olim mortuum esse dixisses? quoniam ad uitam, quæ rationis particeps est, adeò immobilis fuerit, & omni rerũ sensu ob perpetuã ebrietatem caruerit: ac non potius, si non ob aliud, hac saltẽ gratia morti agendæ gratiæ essent, quæ hos è medio

tollat, quos prorſus ne naſci quidem oportebat. Porrò ne illos ipſos quidẽ, ſi quando crapulam edormiuiſſent, de morte conqueſturos eſſe puto: nec iniuria ſe affici dicturos, cũ eis non concedatur, in hoc libidinũ cœno uolutari. Quid uerò de reliquis uitijs dicas, quæ à delicijs, ueluti matre, oriuntur (omnibus enim ferè flagitijs anſam hæ præbent) aut de eo quòd homines nobis à natura præfixos limites tranſilientes, in impurarum uoluptatũ præcipitiũ incidunt: quas, ut arbitror, qui reprehendunt, uel ſola illarum cõmemoratione erubeſcunt. Ergo moleſtè feremus, ſi adulter non ſit immortalis: & unà cum puerorum amatore uota faciemus, ut morbus eius in infinitum producatur: aut etiã inſidias, quæ pecuniæ cauſa tenduntur, et cõtentiones, & inuidias, & bella quæ ob uaria iniqua lucra ſuſcipiuntur, (quæ propter uoluptates ab hominibus appeti cõſtat) æterna eſſe uelimus. quaſi uerò uitæ nulla ſit utilitas, niſi continenter ma-

gna mala aliàs demus, aliàs feramus, & res noſtras in multiplicis uitioſitatis poteſtatem permittamus. Verùm hoc quid tandē eſt aliud, quàm malo ſenatoriam authoritatem tribuere, bonum autem exilio & ignominia mulctare? Aut igitur apertè adeò pronunciandum eſt, uoluptatem hominis eſſe bonum: uirtutem autē & ſapientiam, & ſcientiam, uerbi tantum gratia & propter ſpeciē nominari. & tunc morti exprobrandum eſt, quæ, ea quæ & pulcherrima & precioſiſsima habeamus, adimat. Aut ſi quaſdam uolupta tes euidentem animorum eſſe perniciem exiſtimemus, et cōmuni hominū uitæ ab omni parte aduerſiſsimas, alias & ipſas nihilo minus obeſſe poſſe, niſi rectæ rationis regula adhibeatur: neq; mors penitus infamia notanda eſt, neq; ut res pernicioſa fugienda. Sed homines ex hac aliquā etiam utilitatem capere putandum, cum quidē optimum ſit, ſi quis uitam delictorum expertem & cum uirtute exigat: ac ne illud

illud quidem omni prorsus utilitate ca
reat, hunc meritis affici supplicijs, qui
sanari non potest. Quam ad rem uni-
uersitatis principi & opifici, mors plu
rimum confert, pro sua iusticia homi-
num nequitiam punienti: nec sinenti,
ut mundus à se fabrefactus, temerè &
perturbatè feratur: sed immensa boni-
tate, nostram quoque improbitatem in
ordinem per pœnam redigenti: tanque
medicus, qui sectionibus & ustioni-
bus non sinit per totum corpus malũ
fluxum fundi. Eiusdem igitur est, ius
æquitatemque uituperare, & mortem
quæ malum grassari non patitur, accu-
sare. Quòd si qui uoluptatibus seruiũt,
neque sine hac seruitute uitam expeten-
dam ducunt, rationes has non appro-
barint, sed quicquid has illis non com
parat, malum existimarint: nec horum
iudicium ueritati detrimentum afferet
(neque enim eorum sententiam confir-
mare nunc nobis propositum est, sed
ueritatem, ut per se est) neque est quisque
qui pro reorum sententia suffragium
 ferre,

ferre, aut pro iusticia contra eos quod supplicium eis sit luendum, considerare uelit: sed satis huic fuerit, pronunciatum esse legitimum. Ne igitur nos uelut in iudicijs, uoluptariorũ lamentationibus moueamur, qui suas appetitiones, ceu uxores & liberos, producunt, ut aliter de se quàm de alijs iudicetur. Sed quousq; aut antedictas uoluptates, bonũ, aut id quod mala prohibet, malum esse demonstrare non poterũt, nihilo minus prioribus nobis suffragijs insistendũ erit, quæ id uitæ institutũ amplexis, mortem expedire demonstrarunt. Ob procreationis aũt uoluptates, quæ turpes nõ sunt, si morti quis maledicat, ut quæ & eas funditùs tollat, ei & ipse assentior accusandam esse. Nã & natura nobis ab opifice Deo sunt ingeneratæ, & in causa sunt cur hominũ genus inmortale sit. Itaq; qui temperanter & modestè illis utuntur, eos nemo unquam reprehensionẽ mereri iudicauit, nec morti tanq̃ carnifici ob illarum petulantiam tradendos

Respicit ad id quod consuetum erat Athenis, ut rei ultimo iudicio, familiares et necessarios producerent, q supplicium deprecarẽtur.

dendos esse pronũciauit. Verũ quemadmodum non dixerim, mortem illis bonam esse, cum nihil sit quo uiolato rectè meliores fieri possent, si ab ea punirentur: sic affirmo, hãc ne damnum quidem eis dare, tollendis per obitum concessis uoluptatibus. Nam hæ non tanquam peculiare eorum bonũ, hominibus à natura insitæ sunt, neque propter ipsos, ut ijs tanquam fine inter semetipsos fruerentur: sed eorũ qui nascerẽtur ratione habita, eas in parentibus excogitauit, ut liberorũ successio facilius ab hominibus perficeretur, cũ uoluptas obliuionem molestiarum, quæ generationem cõsequuntur, inducat. Quemadmodum à medicis etiam ægris fucos fieri uidemus, & dulcia quædam amarissimis cõmisceri, ut suauiũ liguritione facilius quoque medicamenta sumant. Cernimus etiam eos qui onera subeunt, canere cum premuntur, et putare, cantu se onus sibi leuius reddere. Quòd si hoc uoluptatum genus, alterius causa & ad tempus hominibus sit

concessum,

conceſſum, conſtat, ubi miniſteriũ deſierit, nec ipſos quicquam detrimenti accepturos, cum proprijs bonis relinquantur: ſicuti nec baiulos illos puniri quiſquam dixerit, cum ſimul & onus geſtare, & canere deſinunt. Aequius igitur eſſet, eos morti gratias propterea agere, quòd nõ permittat, hos propter alios defatigari, cum ipſi ſimulachro duntaxat uoluptatum fruantur: ſed imposturam cõpeſcat, & homines ad ſeſe conuertat. Id quod Sophocles poeta reſpondiſſe fertur Cephalo, tanquam egregium quiddã percontanti, An in ſenectute cum uxore rem habere poſſet? Bona uerba homo, inquit ille, quippe uir cordatus; iam olim ab his tanquã agreſtibus dominis receſſi. Voluptates hoc nomine notãs, quibus genus mortale delinitum delectatur, & apud quas quaſi herum improbum remanet. Ac eos quidem qui ob corporis uoluptates, ſi quæ modò ſunt, mortẽ expaueſcũt, eamq; malum hominibus extremum putant, quæ ab

iſtis

istis ludicris, ac potius ab insania hac, & turpitudine eos repellat: arbitror his rationibus eruditos, & puerili sententia abiecta, modestam & uirilem illius loco sumpturos: nec fato, uoluptatum quidē gratia, fore infestos. ijs autē qui obitum, ob latissimè patentem uiuendi cupiditatē, & natura huius uitæ desideriū innatum, quòd & optimū & diuinissimum eorū quæ habeamus auferat, quod à natura etiam in rebus uilissimis studiose conseruari uideamus: illud dicere queas, ac opportunè fortassis, iudicandū esse de rebus non uoluptatum & illarum fraudis ratione habita, sed de nostris bonis, è diuino & naturali bono coniecturam capiendam: existimandumq́ue, quæ cum illo congruant, ea nobis pariter expedire: quæ uerò cū illo pugnent, ea in malis, atq; adeò nobis noxijs, habenda esse. Et hæc quidem sententia nobis admodum grata esse debet. Omnino enim hæc opinio est hominū cordatorum, & qui omnia referant quò oportet. Verùm

rùm siue absq; animo uiueremus, & corpus id solũ esset quod sumus, quo intereunte nullo modo usquam futurũ esset, id quod prius fueramus, neq; nobis ulla deinceps uel spes, uel ratio relinqueretur: siue animo ad uiuendũ utentes, eum ab opifice immortalem non accipissemus, quiq; suapte ui con sistere posset: cuius ea conditio esset, ut corporis tantum consuetudine uteretur: eoq; pereunte, simul interiret: nõ omnino uecordiæ esset, nos timere, cũ tota natura periclitaretur, & si ab essentia tanquam rate quapiam in inanitatis pelagus caderemus, & in chaos delaberemur. Nunc quis nescit, nos & animum habere, eumq; brutorum anima multo præstantiorem, nimirũ qui ratione gubernetur, qua & imperare corpori potest, idq; arbitratu suo regere, atq; etiam immortalẽ et interitus expertẽ, qui & esse & permanere suapte ui in omnem æternitatem queat: quiq; pereunte corpore, nihil damni faciat? Cũ igitur ea eius sit natura, nonne

ne stulticiæ est, ei metuere, ne fortè unà cũ corpore pereat, & immortale mortẽ subeat: & id quod corruptioni obnoxium non est, non sit. Esse autem uera, ea quæ de eo dicuntur, & æternæ & permanentis naturæ animũ esse, & hominem ob eum, quæ in mundo degunt animalium diuinissimum & maximè diuturnũ, ita cognoscetur, si quis ad hanc rationem examinandã, pauca argumenta adhibuerit. Asserimus hominẽ animal esse, & uiuere. Vitæ porrò signũ est, quod loco mouetur non ab alijs extrinsecus impulsum, aut concitatum, sed quod motum intra se habet, quócunq; se applicuerit. Omnes enim ea quæ hoc modo moueantur, uiuere pronunciant. Neq; uerò quicquam aliud corpus hoc modo afficit, præterquàm animus. Nã omnia quæ mouentur & uiuunt, ob animi præsentiam mouentur & uiuunt. Iam tactus, & uisus, & auditus, euidens argumentũ est essentiæ animalis. Omnes enim, animalia sensu definiunt, qui quo perfectior

fectior fuerit, & quem quo quodq; animal meliorem exactioremq; acceperit, eo perfectiorem locum, in numero animaliũ obtinet. Homo autem nullo sensu destituitur, atq; etiam omnia ea percipit, quorum causa sensus factus est. Itaq; quod ad hos attinet, cæterorum animalium nullo est inferior: sed eius excellentia in eo posita est, quòd natura rationem soli illi tribuit, sensuum ducem. Neq; uerò his sensibus hominem tradidit duntaxat, & ut illorum arbitratu duceretur, permisit: sed rationis elegantia exornauit, & eam uitæ illius tanquã pastorem quẽpiam & magistrum præfecit, ac ipsum à reliquis gregalibus ea distinxit, & quasi præcipuam generis notam eum separauit: per quam solã homo, inter animalia, Deum & agnoscit & colit, fana ei consecrat, & sacra & uota facit, & ab eo tum sibi, tum alijs bona petit, & solus eorum quæ terram incolunt, ueritatem nouit, ac in eius inquisitione occupatus est, & uirtutẽ exercet:

xercet. Idē & leges ſanxit, & Reſpub. inſtituit, & tum benefactorū præmia conſtituit, tum maleficiorum certum pœnæ modū præfiniuit, atq; artes inuenit, non tam ad neceſsitatem, quàm honorem elaboratas, easq; in cōmune contulit: in omnibus ad diuinum exemplar reſpiciens, ad quod & fabre factus eſt, & ad quod ſua omnia componit. Quarum rerū nullius participes ſunt cæteræ animantes, cum ne rationis quidem ſint capaces, qua hæc & inueniūtur et peraguntur, & ad utilitatem utentiū accōmodantur. Hæ enim neceſsitatem tantum intuentur, quatenus res eis ad paſtum conducunt, & procreationem: ulterius autem non ſunt ſolicitæ. Et cū in ſolius huius neceſsitatis poteſtate ſint, nullum ornatus ſtudiū habent, ut quæ nō audeant præfinitos quoſdam à natura limites prætergredi. Itaq; in unoquoq; genere eaſdem & ædificiorū formas uideas, & paſtus ritus, & dormiendi conſuetudinem, & curas eorū quæ procreata

ſunt, & ſolicitudinem ad pericula uel declinãda, uel propulſanda. Nam harum rerum omnium, una omnibus natura lex incumbit: quam tranſgredi illis non licet, tanquam quæ ſola natura & uita ſenſu prædita coërceantur. Hominem autem ratio non paſſa eſt, his quaſi aranearũ telis irretitum uiuere. ſed his ſoluto, uitam liberam cõceſsit, non remoto tantum quouis dominatu, ſed depulſa omni etiam neceſsitate in factis: neq; eum naturæ anguſtijs concluſit, nec id duntaxat conceſſit, ut incolumitatis, ſed multo magis ut felicitatis rationẽ adhiberet. Vnde non ad propulſandos imbres & æſtus modò, ædes erigit, nec una quapiam figura eas extruit, neq; ex eadem materia coagmentat, quod beſtiarum inopiæ accidit: ſed omnia tũ ædificiorum genera excogitat, tum ea multis modis compingit. Et materiã non è proximo tantũ conquirit, ſed lapides peregrè excidit, & Theſſalico marmore, aut porphyritide parietes ueſtit, et pratorum

torũ floribus eos pingit,et ſolũ uariat, atq; inaurat: deniq; neceſsitae cõtem pta, ſolũ preciũ reſpicit. Eadẽ cõmi niſcitur etiam in amictu, non ad anni intemperiem tantũ ſe ueſtibus muniens (nam hæc res nõ magnam curam poſtularet, quam quidẽ naturæ & beſtijs obiecit) ſed ratio multas etiã de licias in ueſtibus excogitauit. Nam & materiæ uarietatem indagauit, & purpuram reperit, atq; aurum intexuit, & omnis generis tum animalium, tum plantarum imagines in ijs depinxit, & alijs alias ueſtiũ formas attribuit, pro cuiuſq; natalibus, aut dignitate, aut ætate. Eoſdem ſumptus uideas & in ſtratis, & in calceamẽtis, & uehiculis, & uaſis, & cæteris rebus, quibus uita inſtruitur. Itaq; homo in nulla re ſua, ijſdem quibus alij utuntur, delectatur: ſed in omnibus ſuperuaçaneam quan dam diuerſitatem, & elegantiam excogitat, contrà quàm reliquorum animantium natura fert, quæ tum puſilla quædam agunt, tum paucis contenta

h 2 ſunt,

ſunt. Verùm dici queat, hæc aliquid etiam neceſsitatis habere admiſtũ. Qui enim uitam conſeruatam cupiunt, uictu & domicilio & ueſtimentis indigent, quarum rerũ curam natura beſtijs etiam quibuſdã indidit: quamuis horum poſſeſsionem precioſiorem & uberiorẽ hominibus conſtituerit. Sed qua uiuendi neceſsitate adductus homo, ſapientiæ ſtudium ſuſcepit? Quid autem ad uictũ confert ars ſupputandi, et ratiocinãdi, aut geometriæ? Aut quid rebus uitæ neceſſarijs deceſsiſſet, ſi nulla eloquentiæ, uel Dialecticæ exercitatio fuiſſet? aut quid ad frigus aut æſtum, dicendi uenuſtas confert? quæ cum ab hominibus poſt ea quæ neceſſaria ſunt, excogitata ſint, apertè oſtendunt, conſilia eius nõ tantum ad corporis aut uoluptatis neceſsitatem, ſed ad aliquid ulterius & maius referri. Quod autem maximè oſtendat humanæ naturæ, ſi ad cætera comparetur, excellentiã, eſt cõſulendi ſtudium ijs qui ſunt inferiores, & conſideratio

uiilitatis

utilitatis cognatorum. Nam alijs satis est, si ipsa nõ esuriant, nõ frigeant, non uiribus ad procreationẽ destituantur: sui autem generis nullam curam gerunt. Neq; uerò reperies Respublicas leonum, aut elephantorum, aut aliorum animaliũ: sed ciuitates solorũ hominũ sunt opera, in quibus sapientiæ suæ inuenta & mutua beneficia deponunt, atq; his alij leges præscribũt, alij dicto sunt audientes. Ac à subditis honores & tributa principibus penduntur, quæ uirtutis & inferiorũ curæ præmia sunt: principes autẽ asiduam eorum solicitudinẽ, qui ipsis parent, perpetuamq; prouidẽtiã conferũt: quam tantam præ se ferunt, ut bonus & iustus princeps suopte periculo salutem alijs præstet, ac multi pro patriæ defensione occubuerint: quod à bestiarum natura remotissimũ est. Vix enim uel sese, aut fœtus suos defendere uideas. Sed inferiorum cura hominum duntaxat est, sicut ipsa mens & ratio suadet. Enimuero quod'nã purius specimen

tum ad humanam perfectionem, tum ad brutorũ inopiam demonstrandam dicatur? Nam hæc quidem suarũ duntaxat rerũ utcunq; satagunt. Inter homines autẽ rationis perfectio aliorum etiam curam suscipit, eorumq; necessitates explet. Videas itaq; unum hominem, qui in suam potestatem redegerit non reliquorum tantũ animalium greges, sed etiã multis urbibus, multis nationibus, & multis regionibus imperet. Quidã uerò totius etiam orbis terrarum imperio potiti fuerunt, atq; in se non obscurum diuinæ dignitatis signum demonstrarunt. Iam illud admiratione dignũ est, unum hominem, cum & brutis bestijs & hominibus imperare conetur, ipsum, hoc iugũ excutere, ac quiduis perpeti malle, quàm alteri seruire, tanquam à primordio natura eius libertatis consors & seruitutis inimica sit. Hominis autem mens usq; adeò res uaria & libera est, & nũc hoc, nunc illud agendum suscipit, atq; aliàs sic, aliàs cõtrà actiones suas componit,

ponit,easq; semper arbitratu suo. Hoc uerò à rationis opulentia habet, quæ res sola libera est, atq; tum facere, tum excogitare cõtraria potest. Natura autem, quippe mendica & inops, & ipsa uno quodam termino continetur: & animalia quæ ei seruiunt, egena & seruilia facit, minutis inclusa legibus. At homo sic ab initio diuinitùs ad imperandum à Deo paratus est, ut non cæteris tantum præesse uelit, sed idem etiam imperium erga semetipsum usurpet, præsertim cum suam naturã conseruat. Itaq; homines modestos & prudentes appellandos censemus eos, qui se & moderãtur, & sibi imperant. Qui cùm ipsi felicissimi sunt, tũ eos qui parent, felices reddũt, qui brutæ illi parti, quę in hominib. est, tanq; populi multitudini, rectissimè imperare sciũt. Itaq; negãt homines cordatiante, partũ hoc imperiũ hominibus ad Remp. administrãdã accedere fas esse: quia nihil præclari gesturi essent, sed semeipsos cum aliјs in perniciem coniecturi. Hac re

homo ab omni animantiũ genere distinguitur, quorum nullum reperias, quod ſuis cupiditatibus repugnet. Sed omnia, citra impedimentũ, naturæ ſuæ impetus ſequuntur. Neq; uerò cum natura paſtus ea cõmonefaciat, illa famem anteferunt: neq; ad potum ducit, ipſa autem ſitire malunt. Tempore autem coitus, & paſtoribus & ſibijpſis intolerabilia ſunt, ſtimulumq; illum quo ad procreationẽ feruntur, nulla uis coercere poteſt. In cauſa illud eſt, quòd eorũ natura rationis expers, non habet quod appetitus incitationem reprehendat, ideoq; libidinem quouis modo explere ſtudẽt. Verùm in hominibus magnum cum naturæ legibus bellum eſt, cuius quilibet qui ſemetipſum obſeruat, in ſeſe quotidie periculũ facit. Quàm multi repletionis cupiditati famem opponunt, ſiue medicis obtemperantes, ſiue carnem coercentes, ſiue alijs de cauſis curam corporis repudiantes? Appetitionem uerò rei uenereæ, quam natura omni-
bus

bus animantibus inſtar uiolentiſsimæ legis indidit, adeò quidam deteſtati ſunt, ut idcirco penitus etiã aſpectum fœminarum abominati ſint. Idem te facere ſentias contra iracundiam, quæ iniuria laceſsitum aduerſus eos qui læſerunt armat, eumq́ monet, & manibus & gladijs in eos irruendum eſſe: interius autẽ quendam incitatus obiurgantem ſentit, docentemq́ & reprimendam eſſe iram, & ab ultione abſtinendũ, & cauendũ tum ne leonibus, aut urſis, aut ſuibus ſimiles fiamus, tum ad hominem et rationis regulã, ipſumq́ decorum, redeundum eſſe. Ac hæc obiurgatio ſæpe tantum ualet, ut ardore extincto, eum qui damnum fecit, adduxerit, ut amore complexus ſit eum à quo iniuria fuit affectus. Ac hominum conditio urbi quodammodo comparari poteſt. Nam is rationem & naturam habet, quemadmodum illa magiſtratus & plebem. Ac ratio quidem regnat, natura autem paret. Et hæc lex à Deo ijs ſancita eſt qui felices

ſunt futuri, ut nihil omniũ rerum aggrediantur, niſi quod rationi conſentaneum eſt. Neq; uerò quiſquam eſt, qui hanc in ſe contentionem non experiatur: uidelicet aliud in nobis rationem eſſe, atq; item aliud corporis naturam. Ac illam quidem quaſi leges præſcribere & ducere: hanc autẽ quaſi obtemperare & duci. quæ, ſi eò ſequatur, quò illa ſpectat, à ratione curatur: tanquam mulæ, quæ in itinere faciendo & ſarcinis ferendis nobis operam nauant. Sin repugnet, & ſua cum illius confundat, tum uerò rationis in corpus & res corporeas dominiũ aperte oſtendit. Prehenſo enim corpore, tanquã fugitiuo ſeruo, fame primùm et ſiti aliĳsq; ærumnis torquet. Deinde niſi poſt caſtigationem à contumacia receſſerit, tũ uerò ratio, iracundia tanquam ſocio quodam contra hoſtes adhibita, acerbum corporis ueſaniæ ſupplicium infligit. nec amplius parcendum cenſet equi aduerſari non, dubitat, Itaq; uel per præcipitia deĳcit, uel laqueo

laqueo suspendit, uel ense traijcit, & hominem sibi manus afferre cogit. Quod euidentissimũ signum est, animum rationis participem non à corpore tantum diuersum esse, sed etiam dominum: et quidem eò usq;, ut etiã perdat. Non enim, nisi aliud quiddam esset, puniret, neq; per iracundiam occideret. Quod si quid corporeũ in nobis dominaretur, corpus ad necem, cum uisum esset, non condemnaret. Neq; enim quicquam sese perditum cupit, atq; adeò ne uires quidem cõtra se habet. Omnia enim pro uiribus se tueri student, & cum ijs quæ salutem prohibent, irreconciliabile bellum gerunt. Quare si homo nihil præter corpus & sensum esset, quiuis corporis appetitiones sequeretur, atq; in id solum studeret, ut ei bene esset: bellũ uerò cum corporis uoluptatibus nullum esset. Neq; res quæ sensum excedunt, expeterentur, sed despicerentur & contemnerentur. At forsitan sine necessaria causa, tantum uerborũ fecisse quibusdam

dam uidear, cum constet, hominẽ maius aliquid quàm corpus aut corporea habere. Idq́ʒ esse rationẽ, qua cuncta cõsideret, & dijudicet, & peragat, & ad legitimum finem quæqʒ referat. Sed huius, ne aliorũ quidem animantium naturã expertem esse. nam illa uideri, officium suũ certa ratione facere, & cuiuslibet actionis certũ sibi finem præstituere. Neqʒ enim ita agerent, nisi ratione ad finem ducerentur: quoniam alioquin, ea quæ faciunt, casui ascribere necesse esset, eoq́ʒ pacto nihil in actionibus eorum esset definiti: sed id quod casus tulisset, eis accideret, cum ea quæ in oculos nostros incurrunt, contrarium de eis testentur. Nam aut semper, aut maxima ex parte, ea quæ ab eis geruntur, omnia eodem modo eueniũt. Ego uerò statuo etiam, quæ ab animalibus geruntur, ratione geri. Neqʒ enim in ijs duntaxat, sed in inanimatis quoqʒ, rationis aliquod uestigium uideas, cum ipsa etiam ordine quodam & oriantur & a-

gant.

gant. Sed idē nego, ipsa eorũ quæ fiũt rationē in se habere, & sese secundũ illam, suoq; arbitratu, gubernare. Sed assero uniuersitatis authorem pro ea quam in se habet ratione, quoduis ad finem ei animanti conuenientem inci tare. Ipsa uerò omnia rerum causas non intelligere. Nam & sagitta cũ metam ignoret, à sagittario dirigitur, quò eam ferri conuenit. Neq; uerò quisq; dixerit, iaculum aliquid habere propo siti, aut cognitionis, aut finis cupiditatem. Sic etiam animalia, rationem in agendo sequuntur, sed eorum quæ faciunt causam ignorant. Mouentur autem & ducuntur ab eo qui scit omnia. Atq; istius rei argumentũ est, quòd ea sola aggrediuntur, quæ ad naturæ conseruationē conferunt. Quicquam autē ultrà, ne attingunt quidem. Nam si eorũ appetitio aliquid rationis aut uoluntatis haberet, etiam extra necessitatem aliquid agerent, ad omnia rationis facultate adhibita* Solus igitur homo contraria & intelligendi & per ficiendi *Videntur non pauca deesse.*

ficiendi uim habet. Ergo nullum aliud animal, præter hominem, animum intelligentem habere, exiſtimandum eſt. Sed is, peculiare quiddam ſolius humanæ naturæ eſt. Itaque homo non ex eorum numero ſimpliciter eſt, quæ ſolo ſenſu uiuũt, neque eius hæc eſt conditio, ut ad nihil ulterius tranſire poſsit: ſed & ſenſum habet, & quod ad hũc attinet, multa cũ cæteris animantibus cõmunia. Quod autem eum planè faciat hominẽ, ac à reliquis diſtinguat; ratio eſt, & mens, inſtar principis in ſuperiori loco ſedens, tum ad ſe, tum ad ſuum uſum cuncta humana accommodans: tanquam dominus ædium, ad quem & filij & ſerui omnes actiones ſuas referunt. Humanus igitur animus, natura rationali & intelligenti ab opifice Deo accepta, corpus non erit. alioquin enim nec ipſe corpus præcipuè moueret, nec id totum penetraret, ſed ineſſet corpori, quemadmodum uaſa, quorum alia alijs infunduntur. Et quia per totũ per
uadere

uadere non poſset, multas corporis partes, præſertim exteriores omnes, neceſſariò inanimatas relinqueret. Haberet etiam magnitudinē pro corporum magnitudine. Vnde dici poſſet, inter duos Aiaces, Telamonium maiorem, Locrenſem uerò, minorem animum circumferre. Atq; etiam cum corpus ſecaretur, ille etiā eius calamitatis eſſet particeps. Præterea ſingulæ quæ in eo cōtinentur ſpecies, indiuidua futuræ eſſent. talia enim in materia & corporibus ſunt. Itaq; nihil uniuerſale ſciret: ſed ſenſum duntaxat haberet, ubi nunc ſcientiam. Sic quæ ratio animum corpus eſſe ſtatuit, in multas incidit abſurditates. Enimuerò qui fieri poteſt, cū ſit incorporeus, & corpori imperet, idq; arbitratu ſuo gubernet, ut eū aliquis & morte præſtantiorē eſſe, & interitui nō ſubijci neget? Nā animi in corpus imperiū, atq; illud etiā q corpus ingreſſus non omnino immergitur, ſed eminet, & q corpus ab eo ſeparatum nihil facere poteſt: ipſe

ipſe uerò omnino à corpore, & nugis quæ inde oriuntur, ſeparatus, in maximas & grauiſsimas contemplationes & ſibi cognatas recedit: euidens argumentum eſt, animi quandã naturam perſe cõſiſtentẽ eſſe, quæ corporis miniſterio carere poſsit, atq; eſſe et permanere queat ſuopte robore. ad hæc, quæ ſuũ negotiũ eo perfectius & purius agere poſsit, quo corpus magis effugerit, atque operã dederit, ut ſecũ ipſe agat. Nam cũ ſemetipſum à corpore & eius generis curis abſoluit, aut mundi etiam errorem qui in oculos incurrit, miſſum fecit, & obſcuras rerum rationes conſiderat, & ueritatem per ſe probat: tum ſui demum iuris planè factus, ac quemadmodũ ipſe incorporeus eſt, attingens exempla materiæ & corporis expertia, ac uelut adita fanorũ ingreſſus, corpus foris relinquit, quaſi nefas ſit illo comitante, & ipſum animum tanquã tenebris quibuſdam ſua dementia perfundente, ueritatem comprehẽdere. Verùm liberatus tanquam

quam onere, tum ad essentiam & ueritatem expeditus penetrat. Et tunc hominem perfectissimum & sapientissimum, & uirum optimum, & omnes uirtutis titulos promeritum appellare licet. Sin cum corpore cōmisceatur, & sensu ac imaginatione disciplinas captet, tum regi eū comparare queas, qui ultrò purpureā chlamydem & diadema abiecerit, quiq; seruis sese commisceat, & ad seruilia ministeria descendat. Quòd si uoluptatibus etiam seruiat, & maculis corporis impleatur, tum ei comparandus fuerit, qui in lutum aut cœnum se impellat, atq; pulchrum illum & amabilē aspectum obscuret, & faciem quandam deformem & abominabilē assumat. Atqui si animus derelinquēdo corpore perfectionem suam cōsequitur, quis homo cordatus eum mortalem esse, & cum corpore interire concesserit? cum etiam antequā morte soluatur, ab illo ad sese recedat, & operam det, ut sese ab illo separet, quasi hoc pacto maximū fru-

ctum ex ſeſe capere poſsit. Enimuero ſi eius uita in corpore poſita eſt, atq; ſine eo interit ac diſsipatur, quî fit ut omni corpore tranſcenſo, incorporea deſideret, & in earum rerum contemplatione ſuauiter acquieſcat, & ſi quis inde abſtraxerit, moleſtè ferat, & doleat, ut qui à ſuis & coniunctiſsimis rebus auellatur? Nam quod delectatur, cum incorruptis coniungitur: & rurſum dolet, cũ ſeiungitur. id teſtimonio eſt, eum cognationẽ & ſimilitudinem cũ immortali habere. Quod ſi immortalia mutationi obnoxia nõ ſunt: conſentaneum eſt, ne ipſum quidem ſub interitũ cadere. Quo uerò pacto, cum immortalis ſit, eaq; de cauſa immobilis (corporum enim motus eſt) interitum ſuſtineat? quem in ullam rem ſine motu cadere, nullo modo fieri poteſt. Neq; uerò à contrario aliquo ſuperatus concidet. Neque enim quicquam eſt, quod cũ eo pugnet. Quod ſi quis dicat eius improbitatem, tanquã æruginem ferrum, animũ poſſe abſumere:

ſed

ſed peſsimi quidã cum nihilo minus uiuant quàm boni, etiã hanc argumentationẽ euertũt, & oſtendũt non poſſe eum ne à ſuapte quidẽ malicia interire, per quam ſolã eum perire credibile ſit. Quod ſi probabile eſt, initium reſpondere fini: conſequens etiã eſt, id quod ſolius Dei uolũtate abſq; materia ortũ eſt, ſolus etiã Dei uoluntate interiturũ. Atqui id uelle ſoluere, quod bene compoſitũ eſt, nõ eſſe boni, quidam ſapiens, cũ de mundo diſſereret, dixit. Præterea fieri nõ poteſt, ut naturalis & cõmuniſsima appetitio fruſtra ſit indita. Eiusq; rei argumentum eſt, quòd nemo unq; ea quæ fieri nõ poſſũt, appetiuit. Quis enim unquã mentis compos, cupidus fuit alarũ? aut ſupra nubes ſe tolli, aut p fluctus tanq; p ſolũ ambulare? quæ ſi quis uel in ſomno tantũ uiſa narrarit, ridemus. Nã eorũ tantũ quæ cõtingere poſsũt, natura appetitũ indidit. Itaq; q̃ omẽs natura appetũt, id ut cõtra naturã et fruſtra ſit fieri nõ poteſt. Verũ in ppetuitatis cu-

piditate, omnes consentiunt: Necesse igitur est, tum hoc futurum esse, tum fieri non posse, ut animus cum æternitate cõiunctus, uoto frustretur. Quapropter non cordatorũ hominum est, quorundam de animo angor, ne forte cum corpore extinguatur, & usquam esse desinat. Non enim incolumis tantum illo pereunte manet, sed suo munere recte fungi nõ potest, nisi corporeis impedimentis liberetur. Nam sapere, & intelligere, & cum diuinis incorporeisq; coniungi (id quod cum cuiusuis animi natura cõuenit, & quò cuncta quæ dicimus, & cogitamus, tendunt, ut quod eorum quæ in nobis sunt, optimum ac diuinissimum sit) id omnino corporis societatem respuit, & solius animi, se plane à corpore, ad sese, & res quæ intelligentia comprehenduntur colligentis, munus est. Etsi enim aliquando etiam sensibus utitur, atq; inde occasiones quasdam intelligendi sumit: tamen id in rei auspicio duntaxat facit, & dum uelut indoctus

est,

est, & in dubio, ac paulo momento huc illuc impellitur, hac discendi ratione utitur: quemadmodum qui palpando res assequi student, dum uisu destituuntur. Sic animus quoq;, uitã modò per natiuitatem ingressus, oculumq; suũ magna corporis caligine tectum habens, ac profundo sopore oppressum, sensibus indiget, qui eũ tanquam somno excitent. A' quibus principiò commotus, & expergefactus, sensibus in ueritatis indagatione non amplius utitur. Quin potius eos ob inscitiam aliquando increpat, quando cogunt, ut in id consentiat, quod ipsi uolunt: quemadmodum ij qui discere incipiunt, certa quadam linearum conformatione opus habent, post partam autem scientiam ad eas denuò reuerti abnuũt. Sic etiã animum, dum adhuc in corpore est, nihil absurdi est, sensus de scientijs percontari. Cum autem is à corpore solutus fuerit, tum res intelligentiæ obnoxiæ cũ per sese adsint, efficiunt usum sensuũ non esse necessarium:

ſarium: quippe quæ ſua natura diluci-diſsimę ſunt, & animi oculum per ſeſe illuſtrant, quarum præſentia & alitur & delectatur cibo ſuauitateq; ſibi con ueniente: cui ſi corpor eas uoluptates quis aſsimilare uelit, ſimulacra potius uoluptatum, quàm quod nominãtur, uerè appellabit. Nam illarum nulla eſt eſſentia, ſed omnino in motu uerſantur. Et quod eas recipit, eſt perforatum corporis dolium, undiq; perfluens, & quod nihil continere poſsit. Cur ergo nihilũ nihilo imponas? aut quid tandem eorum quæ non manent, in fugitiuo manere queat? In animo autem uoluptatis cauſæ ſunt, quæ uerè ſunt: neq; quicquam aliud niſi eſſentia, & quod eas recipit, ſanum quiddam eſt, & ſolidum, & eis ſimile & immortale. Itaq; probabile eſt, inter eos qui delectantur, hos qui corporis uoluptates appetunt, deludi potius ab eis, & ſemper uacuos illis reperiri, cum id nunquam continere poſsint, quod ſequuntur: non aliter quàm ſi & ipſi umbras

perſequantur,

perſequantur, & corpus, cui illa parāt, ſuapte natura nō ſatis fidum, et ea quæ data ſint, nō contineat: qui autem animi uoluptates præferunt, eos reuera ſubinde ſatiari et aliquo expleri, quod eodem modo perpetuò ſe habeat, & quàm ſuauiſsimè uiuere. Sic ea quæ poſt corpus eueniunt, animo & utiliora & iucundiora, et ut uniuerſe dicàm, diuina, & melioris partis ſunt. Itaq; primorū etiam ſentētia, qui uoluptatū deſiderio mortē ægrè ferūt, & ſecundorū, quibus nihil amplius eſſe reliquum poſt mortē uidetur: nō modò mors natura aduentans, horrēda nō eſt: ſed eius etiam cunctatio ægrè ferenda: & cum abeſt, uocāda eſſet, quippe cū aliter fieri nequeat, ut aut ueris uoluptatibus perfruātur, aut ſint & uiuāt ſecurius, & mortali ac bruta parte, quæq; perpetuò nihil eſt, liberētur. Deſinant igitur & qui corporeas uoluptates deplorāt, & qui ſe nuſq; poſt corpus fore arbitrātur. Optimū enim eis manet, ac potius totū, & q̄ ſolo, ſi ſapiāt, ſunt in

quo diuinæ imaginis pulchritudo interitus expers reposita est, nulli calamitati obnoxia, quæ uirtutis & prudentiæ particeps esse potest: cui id unum damni est, si carni seruiat, & eam amplexetur. Sed si eam relinquat, id est reditus ad uitam, & ad id quod uere est, & sacræ ueritatis fructus. Quocirca qui fieri potest, ut non melius nobiscum agatur, corpore recedente, quod animum degrauat, atq; attrahit, neq; sinit ultra cœlos attolli? Nam auro etiam cum quauis alia materia confuso, quid'nam esset melius, aut suauius (si modò quid prudentiæ haberet) quàm ab eis separari, quæ se inferiora sunt, suaq; admixtione apparere nõ sinunt, quantũ illi uenustatis insit? itaq; stulticiæ esset, purgatione illa dolere, qua manifestè perficitur, & ad suam naturã redit. Sic nobis propterea indignandum nõ est, quòd mors rerum nostrarum aliquid, quæ & nunc habemus, abripit: neq; statim putandum, id detrimentũ nobis afferre, si ablationem
istam

istam nobis nō esse maximā ostenderimus. Sed donec deteriore, & eo quod prohibere nos à uitæ puritate potest, liberamur, nihil damni mors nobis allatura est. nihil enim formidabile nobis est, nisi quod animo in primis graue sit: & felicitas nostra nihil aliud est, quàm proba animi cōstitutio. Nos enim animus, & quicquid ad eum pertinet, sumus. Quod si is mortis periculum non facit: nihil prohibet, quo minus nos immortales & simus, & nuncupemur. Quod enim in nobis moritur, & paruū, & non idē quod nos, sed nostrū quiddā est, nec sua mutatione contra nos mortis quoq; suffragiū ferre potest: quemadmodū nemo corpori malas uestes imputabit, neq; si illæ rumpātur, aut deterantur, id corpori accidere censebit. Si tamē exiguo hoc intereunte, hominē idcirco mortalem uocandū esse quis putet, quanto æquius est, ob id quod maius est, adeoq; excellit, et interitū superat, & manet, eum & immortalē, et nulli cladi obnoxium

uocari? Mens enim sola, purus homo est: in eaq; sola, prudentia & ratiocinatio sita est, quibus homo à reliquis animantibus distinguitur. Aut igitur qui obitũ totos nos perdere dicũt, aliquã timendæ mortis causam se habere putent, ubi demonstrauerint animum mortalẽ esse, & cũ corpore abire: aut quoad Deus & recta ratio & philosophia, & ea quæ in ipso animo quotidie apparent, demonstrant, eius essentiam interire non posse: recipiant animum, neq; ita erga fatum affecti sint, quasi in barathrum quoddam, ex quo nullus regressus pateat, casuri sint. Quod si uerò hominẽ morte penitùs deleri contingeret, ne sic quidem mortis memoria affligi oporteret. Sed cogitandum potius esset, quantis corporis molestijs uita referta sit: & quanto sit leuius, omnis sensus expertem esse, quàm tantam tempestatem, quæ à corpore nobis indies excitatur, tolerare: quam animus neq; frangere, neq; ferre potest, cum conpages nostra, cor-
pòris

poris affectiones ad eum transmittat. Nam hoc animo necessariò ferendum est, dum generationi seruit, & multa quæ ad corpus attinent, inuito in se recipienda sunt, ut qui illi non penitus imperet. Quare infiniti labores necessariò nobis sumendi sunt eius causa, quòd nunquã non bello petitur, dum aliàs famem eius sedamus, aliàs sitim extinguimus, aliàs frigus ab eo propulsamus, aliàs loca quæ æstus deuitandi causa subeat, excogitamus. Taceo peregrinationes, terra mariq; susceptas, harum rerũ parandarum causa: & blanditias ac seruiles gestus, qui sæpe propter obolum execrandis hominibus præstantur. Quæ res quo non laqueo grauior est homini, qui uel minima ex parte semetipsum nouit, & considerat à quali ueritatis & uirtutis altitudine, in qualem scurrilitatem & uilitatẽ decidere cogatur? Iam quid de uariorum morborum doloribus dicendum est, cum sæpe corpus ita erodatur, ut uix calamitosæ ueteris hominis reli-

quiæ ſuperſint? Miſeri igitur non modò non poſſunt reliquis non uti, ſed nec quod ijs corporis partibus ſubſtituant, quæ eis perierunt, habent: atq; adeò ne eos quidem, à quibus conſolationem audiant, quoniam omnes ſaniem & putredinem & moleſtiã quæ inde oritur fugiant, quod ipſis dolori bus ijs eſt acerbius, ut doloris acerbitas eos ſæpe laqueos, aut præcipitia, aut enſes deſiderare coegerit. Vt autẽ concedamus, nullam à corpore perturbationem animo oriri (quod ſi fieret, monſtri inſtar haberetur) quis ſatis enarrarit tempeſtatem, quæ in adoleſcentia, & corpore incolumi, animis à corporibus cõcitatur? Omnino enim homines, tum ne homines quidẽ eſſe poſſunt, cum ueluti fluctibus ab agitatione illa mentis, in brutorũ naturam detrudãtur. Seruilis enim animi pars, & rationis obnoxia imperio, arrepta occaſione, ſatietate inſoleſcens, ſeditionem contra mentem mouet, neq; amplius obtemperandũ cenſet. Sed ani-

mo

mo oppresso, sobrias & honestas cogitationes exilio & ignominia mulctat, atq; sibi ascito imperio, quò fortuna tulit, impellitur. Et cùm uirtutem omnem tanquã impotentiã aliquam contemnit, tum existimat in sola improbitate fortitudinem esse sitam: deniq; assiduæ ebrietati, & petulantiæ, & omni iniquitati hominem tradit, neq; prioris figuræ quicquam aliud præter hominis nomen illi admittit. Sic corpus dolore afficit animum, non minus per uoluptates, quàm per molestias: ac potius plus damni facit ex ocio. Nam etiam auriga plus læditur, cum equi eius malo pastu & satietate lasciuiunt, atq; temerè saltãt, quàm cũ ob famem & imbecillitatẽ lentè progrediuntur. Atq; hæc dicta nobis sint ad eos qui opinantur, hominibus post mortem nihil esse reliqui, sed omnia perire: quiq; putãt ipsam hac de causa rerum humanarũ esse pessimam. Ac eadem ad persuadendũ satis etiam uidentur ijs, qui non tardissimo sunt ingenio, licere

licere nobis uiuere etiã sine hac uita alibi, eo quod in nobis & maximum est & diuinissimũ, ut & incolumes simus, & permaneamus. Tametsi maximas & ualidissimas demonstrationes prætermisi, quibus sacra quoq; oracula, quæ cum his quæ protulimus consentiũt, demonstrari potuissent, quæq; post hanc uitã tam iucunda & blanda uiris bonis futura promittunt, ut nullo modo uerbis explicari queant, nisi ad hãc disputationẽ rudiora & magis obuia sensibus adducere uoluissem. Restat igitur, ut & tertijs aliquid respondeamus, & declaremus, ne ipsorũ quidẽ cogitationes carere timiditate non conueniente. Ac ultionem esse apud inferos, eorum quæ hic delinquuntur, & multis acerbitatibus illic mulctari redundantes huius temporis uoluptates: hanc opinionem firmam esse, non doctorum tantum uirorum consensus approbat, sed & diuinæ iusticiæ æqualitas, quam omnes etiam impudentissimi concedunt, ac necesse est, hanc

sententiam

ſententiam immotam in animis retine re. Neq; enim ſine ſcelere cogitare poſ ſumus, bono & perfectiſsimo Deo ali quid boni deeſſe. Iuſtitia aũt cùm omnibus bona eſt, tũ uerò ijs quibus prin cipatus obtigit, ſine qua multis pecca tis imperium complebunt. In primis autem Deus regnat, & maximo ac abſolutiſsimo imperio præditus eſt. *

* nihil eſt quo opus habeat, ut neceſsitas eum aliqua ex parte ad ſeruitatem trahat. Ipſe igitur cum præſideat omnibus, & humana facta intueatur, iuſticiã neceſſariò iuxta ſe collocabit, qua & bonorum remunerationes & malorum ſupplicia definiat: quod ſolius iuſticiæ munus eſt. Quòd ſi Deus eſt bonus, neceſſe eſt uiris bonis coronas, ac improbis ſupplicia præparata eſſe: quæ niſi hîc luant, neceſſe eſt ea illis poſt obitum reſeruari. Neq; enim fieri poteſt, dignitatis à iuſticia rationem non haberi. Quod ſi hoc uerũ eſt, iam mors peſsimis in rebus numerãda nõ erit. Nam

ſi author

ſi author eſſet ſecutarũ moleſtiarum, meritò ab ea quſpiam abhorreret, ut qui per eam miſer et infelix futurus eſſet. Si uerò poſt obitũ alij ad coronas currunt, alij ad tormẽta adiguntur, cur eam rem morti imputemus? dum uitã magis ob ea quę expectanda ſunt, criminari oporteret. Non enim morientibus, ſed ijs qui perperam uixerunt, pœnæ deſtinatæ ſunt. Quocirca ſi hæ ſunt auerſandæ, æquius fuerit, à morte ad uitam odium transferre, à qua, mala in animis redundant, quorum pœnas luimus. At mors omnino criminis expers eſt, quia cauſa nõ eſt ſequentium formidinum. Cum illi uerò quæ poſt ipſam moleſta ſunt aſsignemus, quid obſtat cur bonorum compenſationes, acceptas illi nõ referamus? Viri enim boni poſt eam ſolatia conſequuntur. Itaq; ex illis quæ pòſt obueniunt, non magis mala, quàm bona appellanda erit. Ac potius, ſi ueritatẽ ſpectemus, etiam in bonis nùmerandam eſſe inuẽniemus. Eos enim qui iuſtè uixerunt,

ad

ad uirtutis præmia accersit, et impro bis improbitatis finē statuit, quam cor dati quouis supplicio grauius ferunt. Quapropter impendentium calamitatum minæ morti imputandæ nō sunt, sed nobis ipsis, & uoluptatū seruituti, per quas animis nostris læsis, prætorium illud, ipsi nobis formidabile red dimus. Itaq; si has caueremus, nihil im pedimento esset, quo minus bene etiā mortem de nobis mereri putaremus, quæ ad bonorū remunerationes celerius nos transmitteret. Quare metus ille nō à morte, sed horror à cōscientia oritur: quemadmodum ijs accidit, qui grauissimorum scelerum sunt conuicti. Nam illi quoq; præstitutam à legibus diem expauescunt: & cum eam ac cedere animaduertunt, exanimantur, cum ijs facinoribus quæ commiserūt, imperare debuissent. Aiunt, quinta, quarta, tertia, deinde ea quam maximè omnium dierum timeo, & horreo, et execror. Miser, quod'nam est diei ui tium, propter quod hanc ita abomine-

tis, cum ea quidem multi ſacrificent, & libationes ob uictorias offerant, & coronas geſtent, & rerum benè geſtarum præmia conſequantur? Tu uerò petulantiæ deditus, uelut ij qui diem à legibus præfinitum expectant, times. Atqui illis euadere nō licet, ubi ſemel condemnati fuerint. Nobis autem pœnitentia, & uitæ modeſtior inſtitutio, ſi actiones noſtras ipſi condemnauerimus, irritum facit atrox illud ſuffragium, & ſpem meliorem ſuppeditat. Quòd ſi ergo ea quæ mortem ſequuntur, hos ad eam metuendā uerè impellunt, uitæ correctio timorem illum conſoletur. Ea in noſtra poteſtate eſt ac uoluntate tantum opus: & ſic timor euaneſcet, & admiranda loco prioris tempeſtatis, tranquillitas in animos introducetur. Quid igitur uerbis opus eſt, cum calamitatum depulſionem tantū nō in manibus habeamus? Sin quis putet uitā uirtute præditam moleſtam eſſe, & receptum ad hanc à uoluptatibus, non cuiuſuis hominis officium

officium esse existimet: eum satis appa ret, timoris huius causam, in quandam animi dissolutionem & mollitiem con ferre. Nam omnis metus fore expertes eos, qui diligentiã adhibere uelint, ip se utique assentietur: Ergo non ab ipsa re metus existit: sed ab eorum stulticia, qui se corrigi nolunt: tanquam si quis fraudator, cum in ius trahatur, omissa æris alieni restitutione, aut etiã ad iu dicem accurrere, atque supplex illi esse nolit; sed potius iter ad illum ut lon gum culpet, et ociosè desidens, ijs quæ per iniuriam abstulisset, frui uelit, po stea accuset eos à quibus damnatus esset, aut etiam alios præter meritum. Demens restitue id quod cõtra leges detines, & iudices nõ modò in te non animaduertent, sed etiã benè tibi cu pient. Quod autem contendis, ipse tibi culpam eorum quæ perpessurus es, a scribito. Sic primi illi homines, pro ter tijs nunc etiam reuertuntur, qui pro pter uoluptates, earumque suauitatem mortẽ horrent. Deprehẽdemus enim,

etiam hos nihil culpare aliud quàm uoluptates. Nã quia nimiũ arctè has complexi ſunt,non ferendum eſſe cenſent quicquã, quod illam ſuauitatem ſiſtat. Eo autem priores ſuperãt,quòd immodeſtiæ ſuæ quandam uerecundiæ ſpeciem prætexũt. Neq; uerò difficulter redargui poſſunt, cum ſuapte oratione facilè uincantur. Nam ſiquidem (bone uir) ſuppliciorũ ſuſpi cio mortem tibi horribilem facit: cur non pauliſper eiectis uoluptatibus, animũ uſq; adeò premente onere liberas, & uoluptates uoluptatibus permutas,periculoſas tutis,& minutis maximas,& breuibus æternas? Nam illis ſeruiendo, hanc quoq; uitam moleſtiarũ plenam perages, pœnã ſubinde tremens & metuens,& hic nullum ſenſum percipies earum quæ uoluptates dicuntur: & in poſterum re ipſa experieris, quæ nunc expectas. Quod ſi pauliſper ad ſanam mentem redieris,& uitæ modeſtæ periculum feceris: etiam in præſentia, ſpe bona delectaberis, &

de

deinceps suauiter ætatem deges, non molestijs modò remotis, sed bonis etiam omnib. ubertim tibi affluentibus. Sed si præsenti scilicet suauitati te in seruitutem tradis, libertatis obliuisceris, neq; recusas in perpetuo tremore uiuere: & dũ & ipsum probro liberare studes, morti timorẽ imputas, cum ipse te culpare debeas, qui turpissimis rebus succumbas. Quod si in summam contrahamus, duæ causæ apparent, ut mors timeatur. Nam hoc aut inscitia quadam accidit, cum homines se præter corpus nihil esse existimant: aut tametsi in eis aliquid præter illud sit, id unà cum corpore & esse & interire. ideoq; qui uoluptatibus sese tradiderunt, morte aduentante conturbantur, quasi nil sit eis post mortẽ reliqui: & dolẽt, cũ hæ relinquendæ sunt, quòd desperent se usquam aliam suauitatẽ, carnis uoluptatibus iucundiorem & puriorem, reperturos. Itaq; non iniuria cum lachrymis fato cõcedunt, nimirũ bono & fine eis penitùs pere-

unte. Verùm horum duorum, alterum ex altero naſcitur. Nam uoluptatum ſeruitus cum animum corpori planè commiſcuit, nō patitur eum ſeipſum perſpicuè contueri, ſed homo perpetua commiſtionis illius conſuetudine deuinctus eſt, & ſentit totum animum toti corpori permixtum eſſe, quemadmodum parum auri uarijs alijs abiectioribus metallis: atq; cum ob ſcientiæ inopiam, inſtar imperiti metallici, hæc inuicē ſeparare nequeat, illi quod uidet aſſentitur, & hominem eſſe ait, qui quàmplurimis uoluptatibus ingurigitari poſsit: id unum in lucro deputans, quod comederit, & biberit, & rebus uenereis impenderit: quod Sardanapalus monumēto ſuo inſcripſiſſe fertur, id ipſe animo ſuo ſic inſcribens, ut deleri non poſsit. id quod ei non accideret, ſi continentia uoluptates coerceret: & lucrum putaret, non autem damnum, ſi quid his decederet. Nam ſi ſic paulatim à corpore ſe reſolueret, & ſe intueri aſſueſceret, nō igno

raret

raret ſeſe, ſed ueritatis & incorporeorum fieret contemplator: atq; intelligeret, nihil ad illam ſibi cõtemplationem corpus prodeſſe: & reperiret ibi animum ſuum à corpore liberatum, & per ſeſe etiam ante mortem conſiſtere poſſe: eoq; & pulchriorẽ & robuſtiorẽ eſſe, quo minus corporis cõſors ſit. Et ſic tali ſtatui aſſuefactus, non doleret, cum partes eius diuellerentur: nec ſibi timeret, cum perſuaſum haberet, ijs rebus quarum periculũ feciſſet adductus, animũ ſibi permanſurum eſſe. Sic etiam uoluptates animũ corpori commiſcentes, illi ſenſum ſui eripiunt, & timiditate & ignoratione replent. Ob hanc porrò inſcitiã, uoluptatibus, earumq; ſordibus magis cõmiſcetur, neq; ullum huius infelicitatis exitum reperit, cum in inſcitiam propter uoluptates delabatur, & ab illa inſcitia in uoluptatum barathrum præcipitetur. Neq; uerò mirum hoc eſt. Quilibet enim homo bonum aliquod appetit, iſtiusq; gratia cuncta & dicit, & con-

ſiderat, & agit. Neq; enim quiſq; adeò infelix eſſe poteſt, ut ſibi & actionum ſuarum malum finem ſtatuat. Quod ſi ſcientia & cura boni naturã comprehenderit, illius lumine tanquam duce utens: tũ & perſpicuè cernit quò properandum ſit, & curſum citra errorem conficit, & id quod deſiderat conſequitur, & dolere deſinit, & de ſe fidit: quippe qui nunquã priuandus ſit eſſentia & uita, cum eſſentiæ & uitæ cauſa coniunctus. Sin ignorauerit deſiderium ſuũ ob ignauiam quandam, tanquam parentem ĳ qui longo tempore à ſuis ſeiuncti fuerunt, & barbaris ſeruierunt: boni deſiderium ne ſic quidem eum deſerit, quippe quod innatum ei ſit: ſed quærens quibus comprehenſis amorẽ ſedet, fertur ob boni inſcitiam ad eius ſimulacra & ſimilitudines: ac à ueritate ſcientiaq; delapſus, ad opiniones & mendacium feſtinat, atq; aſsilit intemperanter corporibus, ĳsq; rebus quæ per corpus exercentur, umbra pro ueritate ipſa

arrepta,

arrepta. Itaq; boni loco suauitatem colit atq; amplectitur, et mendacio loco ueritatis quæ à bono existit, delectatur, sicq; cũ impuris uoluptatibus paciscitur, & se his per omnẽ ætatem seruiturum pollicetur, persuasum omnino habens ipsas summũ esse bonũ. Et hæc extrema miseria est, & cœnum & tenebræ: in quibus, uerè dictũ est, fore ut iaceant non initiati. Hoc igitur cuiuis homini cauendum erit, qui uerè beatè uiuere uolet: ac opera danda, ut uirtuti & scientiæ pro uirili semper amicus, corporis uerò uoluptatib. hostis sit, ut ne ex inscitia oberrans, bonum alibi quærat: & se reperisse putans, id quod iucundũ est præ illo colat, neq; in ignoratione uerarum uoluptatum ætatem exigat, animi oculo uoluptatibus suffocato, & uæcordia excæcato. Quod si ita se cõposuerit, & hac ratione res suas disposuerit, ut pulchrius comparari non possint: tum animũ suum immortalẽ esse inueniet & sciet, & deinceps nõ modò mortem

Alludit ad Eleusima sacra.

non timebit, ſed eius etiam cunctatio-
nem moleſtè feret, eamq́ à Deo exo-
ptabit, ut eo pacto, ſua-
uiori uita potia-
tur.

FINIS.

HERMIAE

HERMIAE PHILOSOphi, Gentiliũ philoſophorũ irriſio, Raph. Seilero interprete.


Eatus Apoſtolus Paulus, Corinthijs, qui iuxta Laconicam Græciam habitant, ſcribens, dilecti, cum pronunciauit ſapientiam mundi huius apud Deum ſtultitiã eſſe, præter rei ueritatẽ locutus non eſt. Videtur enim mihi ab angelorum defectione principiũ repetijſſe, cur philoſophorum decreta inter ſe neq; conſentiant, neq; approbentur. Nam eorum alij dicunt, animum ignem eſſe, ut Democritus: alij aerem, ut Stoici: alij mentẽ, alij motionem, ut Heraclitus: alij exhalationem, alij uim à ſideribus promanantẽ, alij numerum mouendi ui præditũ, ut Pythagoras: alij aquam genitalẽ, ut Hippon: alij elementum ab elementis, alij harmoniam, ut Dinarchus: alij ſanguinem, ut Critias: alij ſpiritũ, alij unionem, ut Pytha-

1 Corinth. 3

Pythagoras: & prisci diuersa. Quot de his sententiæ? quot philosophorum & sophistarũ contendentium magis, quàm ueritatem inuenientium, argumentationes? Verùm esto, de animo inter se dissentiant: nunquid uerò de cæteris concordes pronunciauerunt? Atqui alius uoluptatẽ eius bonũ, alius malũ, alius rursum mediũ inter bonũ & malũ appellat. Eius porrò naturam alij immortalem, alij mortalẽ esse aiũt, alij ad paruũ aliquod tempus permanere: alij eam in bestiarum conditiones deuoluunt, alij in corpora indiuidua dissoluunt, alij ter ad corpora transire, alij ter mille annorũ circuitum ei præfiniunt. Et qui ne centum quidem annos uiuunt, de tribus futuris annorum millibus pollicentur. Hæc igitur quid aliud nominanda sunt, quàm, ut mihi sanè uidetur, portentum, aut dementia, aut insania, aut hæc simul omnia? Quod si uerum aliquid inuenerunt, aut eadem proferant, aut alijs alij assentiantur: tunc & ego libens eis obtempe-

obtemperabo. Verùm illi animum diuellunt, atque in diuersas partes trahũt, alius in aliam naturam, alius in aliam essentiam, materiã ex materia mutantem. Fateor enim, me crebram rerum conuersionem molestè ferre. Nunc immortalis sum, & gaudeo: nunc contrà mortalis fio, & ploro: mox in indiuidua corpora soluor, aqua fio, fio aer, fio ignis: paulo pòst nec aerem, nec ignem, sed feram me facit, piscem me facit. Itaque uicissim fratres habeo delphinos: cum uerò me intueor, corpus pertimesco, & nescio quo nomine id uocẽ, hominẽ'ne an canẽ, an lupum, an taurum, an auem, an serpentem, an draconem, an Chimæram. In cunctas enim bestias, ab illis sapientiæ studiosis cõmutor, terrestres, aquatiles, uolucres, multiformes, agrestes, cicures, mutas, uocales, brutas, ratione munitas. Nato, uolo, sublimis in aere feror, serpo, curro, sedeo. Offert autem sese Empedocles, & arbustum me facit. Cũ igitur hominis animum philo-

philosophi cõcordes deprehẽdere nõ posſint, multo minus de Dijs, aut mun do, uerũ pronunciare poterunt. Etenim ea fortitudine præditi ſunt, ne ſtu porẽ potius dicã. Nã qui ſuũ animum inuenire nequeũt, ipſorũ deorũ pſcru tabuntur: & qui ſuũ corpus ignorant, ſuperuacaneũ in mũdi natura indagã da laborẽ ſumũt. In naturæ certè prin pijs alij alijs ſummopere aduerſantur. Vbi Anaxagoras me exceperit, hæc docebit: Mens omnium eſt initiũ, eaq; cauſa & omniũ domina eſt, & ordinẽ confuſis præbet, & motionẽ immobilibus, & diſcrimẽ commiſtis, & ornatum inornatis. Hæc cũ dicit Anaxago ras, amicus mihi eſt, & ipſius ſentẽtiæ me ſubijcio. At obſiſtũt illi Meliſſus et Parmenides: quorũ hic poeticis etiam uerſibus prædicat, hoc quod ſit, unum & æternũ, & infinitum, & immobile, & cuiuis ſimile eſſe. Rurſus igitur neſcio, quo pacto in hanc opinionem concedo. Parmenides Anaxagoram animo meo expellit. Poſtquã autem

me

me firmā habere ſententiā exiſti mo, Anaximenes uices excipiens, contrarium uociferatur. Imò dico tibi, uniuerſum quod eſt, id aer eſt: qui denſatus & concretus, aqua fit: ſin rareſcat & diffundatur, æther & ignis: in ſuā uerò naturā reuerſus, aer liquidus: ſin denſetur, inquit, mutatur. Et rurſus in hāc quoq; ſententiā tranſeo, & iam Anaximenē diligo. Sed Empedocles contrarius obſtat, minas iactans, & ab Aetna magnum clamitans: Principia omniū ſunt inimicitia & amicitia: quarum hæc congregat, illa diſsipat, & earum contentio cuncta facit. Definio autem ea, & ſimilia eſſe, & diſſimilia: & infinita, & extremum habentia: & æterna, & facta. Euge Empedocles te ſequor, etiam uſq; ad crateres ignis. Ab altera autem parte ſtans Protagoras, me diſtrahit, dicens: Terminus & iudicium rerum, homo eſt: & quæ in ſenſus cadunt, res ſunt: quæ uerò in eos non cadunt, ne in naturæ quidem formis exiſtunt.

ſtunt. Hoc uerò ſermone à Protagora delinitus, delector, quòd aut omnia, aut certè plurima, homini relinquantur. Aliunde autẽ Thales ueritatẽ mihi ſuggerit, aquam uniuerſorũ eſſe primordium ſtatuens, & ex humido cuncta conſtare, & in humidum reſolui, & terrã in aqua ferri. Cur igitur Thaleti nõ crediderim, Ionum antiquiſsimo? Verùm ciuis eius Anaximander æternam illam motionem humido uetuſtiorem eſſe dicit, eaq; alia oriri, alia interire. Itaq; fides Anaximandro adhiberi debet. Nònne uerò celebratur Archelaus? qui uniuerſitatis principium eſſe calidum & frigidum ſtatuit. Sed huic magniloquus Plato non aſſentitur, qui rerum exordia, Deum, & materiem, & exemplar eſſe dixit. Iam uerò perſuaſum mihi eſt. Quid ni uerò? cum philoſopho, qui Iouis currum etiam fecerit, crediturus ſim? A tergo autem ſtat eius diſcipulus Ariſtoteles, qui magiſtrum ob currus fabricationem illam æmulatur. Ille alia princi-
pia

pia describit, facere nimirū, & pati. Ac id quidē quod faciat nulla re affici, uidelicet ætherē: id uerò quod patiatur, quatuor habere qualitates: ariditatē, humiditatē, caliditatē, frigiditatē: horum enim mutua inter se mutationē omnia & oriri, & interire. Defatigatus iam sum, sursum ac deorsum opinionibus iactatus. Verū Aristotelis sententię stabo, neq; ulla amplius sentētia tumultū mihi cōcitabit. Sed quid agam? nā senes his uetustiores, animi mei neruos incîdūt: Pherecydes, qui principia esse dixit, Iouē, Tellurē, & Saturnum: Iouē atherem, Tellurē terram, Saturnum tempus. Ac ætherē quidem producere, terrā autē ferre: tempus uerò esse, in q̄ fiant omnia. At inter senes illos etiā est æmulatio. Etenim hæc omnia Leucippus nugas esse existimans, primordia esse dicit, infinita & immobilia, et minima & subtilia sursum ferri, ignē et aerē fieri. crassa autē infrà subsistere, in aquam ac terrā cōuerti. Quousq; tandem talia edoceor, ueri tamen

nihil addisco. Nisi Democritus ab hoc errore me liberet, demonstrans, initia esse id quod sit, & id quod nõ sit. Ac id quod sit, esse plenum: quod uerò non sit, esse uacuum. Plenum autem in uacuo uel cõuersione, uel figura, efficere omnia. Fortasis autem pulchro Democrito assentirer, & unà cum eo ridere uellem, nisi à sententia me deduceret Heraclitus, simul & plorãs, & dicens: Vniuersorum exordiũ est ignis. Duæ autẽ ipsius affectiones, raritas & densitas, quarum altera facit, altera patitur: altera coagmentat, altera separat. Abunde iam satur sum, atq; etiam tot principijs inebriatus. Sed & illinc Epicurus me adhortatur, ut nequaquam pulchrã suam de atomis & de uacuo opinionem, cõtumelia afficiam. nam horum multiplici & multiformi complexione cuncta & oriri, & interire. Non cõtradico tibi Epicure, uir optime: sed Cleãthes capite è puteo elato, sententiam tuam deridet. Itaq; & ipse uera principia haurio, Deũ nimirum

&

& materiã: ac statuo, terrã in aquam migrare; aquã in aerem ferri, ignẽ ad terræ proxima accedere: animum aũt per totũ mundũ penetrare, cuius partem aliquã nos adeptos animari. Cum autem horum tantus sit numerus, alia mihi ab Aphrica multitudo affluit. Carneades & Clitomachus, eorumq; sectatores, qui omniũ aliorum placita conculcant: ipsi uerò planè pronunciant, uniuersa incomprehensa esse; & ueritati semper falsam quandam imaginationem esse proximam. Quid igitur agam post tanti temporis ærumnas? quo pacto tot opiniones ex animo meo effundam? Si enim nihil comprehensum est, & ueritas homines deserit, & celebrata philosophia umbras potius consectatur, quàm rerum scientiam comprehensam habet. Iam uerò alij ex antiqua tribu, Pythagoras et tribules eius, graues & taciturni, alias mihi opiniones, quasi Cereris quædã initia tradũt, atq; etiam illud magnum & arcanum ipse dixit: Omniũ initium


& unio, ẽ cuius figuris & numeris elementa fiunt. Atq; eorũ cuiuslibet numerum, formam, & mensuram ita demonstrat: Ignem quatuor & uiginti triangulis rectis perfici, & quatuor æquis lateribus cõtineri. Vnũquodq; autem æquilaterum sex triangulis rectangulis cõstare. unde eum pyramidi assimilant. Aerem autẽ octo & quadriginta rectis triangulis impleri, & æqualibus lateribus octo contineri. Aequiparari autẽ figuræ octonorum sessuũ, quæ octo triangulis æqualium laterum contineatur, quorum singula in sex rectos angulos diuidantur. Itaq; anguli omnes fiunt octo & quadraginta. Aquam autem centum & uiginti contineri, & comparari figuræ uiginti sessuum, quæ ex æqualibus constat, & triangulis æquorum laterum sexies uiginti * * Aetherem uerò perfici duodecim quinquangulis æqualium laterum, & similem esse figuræ duodecim sessuum. Terram compleri triangulis

angulis octo & quadraginta, contineri autem ſex triangulis æqualium laterum, & cubo ſimilem eſſe. Cubum enim ſex quadrangulis contineri, quorum ſinguli quatuor triangulos habeant: ut ſummatim omnia fiant, quatuor & uiginti. Mundũ igitur Pythagoras ita metitur. Ego uerò rurſum numine afflatus, domũ, patriam, uxorem, liberos contemno, neq; amplius curo: uerùm in ipſum ætherem aſcendo, & cubito à Pythagora ſumpto, ignẽ metiri incipio. Nec enim ſatis eſt metiri Iouem: ſed niſi etiam ego magnum illud animal, magnum corpus, magnus animus, ipſe in cœlum uenero, & dimetiar ætherẽ, interibit Iouis imperium. Vbi uerò menſus fuero, & Iupiter ex me cognouerit, quot angulos habeat ignis, rurſus ex cœlo deſcendo: & oliuas comedens, ficus, ac olera, quamprimũ ad aquam me confero, & per ulnam & digitum & ſemi digitum, humidam naturã metior, & profunditatem eius ſupputo, ut Ne-

ptunum quoq; doceam, quantum sit mare, cui imperat. Nam terrã quidem uniuersam una die obeo, & numerum eius colligo, & mensuram, & figuras. Persuasum enim habeo, me ne dodrãtem quidem totius mundi prætermissurum, cum talis & tantus sim. Præterea etiam stellarũ numerũ, & piscium & bestiarum noui, & mundo in bilancem imposito, facilè pondus eius possum cognoscere. Hactenus quidem animus meus his rebus intentus, totius uniuersitatis imperium affectat. prospiciens autem Epicurus, mihi ait: Tu quidem amice unũ duntaxat mundum dimensus es, cum sint multi mundi, & infiniti. Itaq; denuò dicere cogor multos cœlos, alios ætheres, eosq; multos. Agè uerò nõ amplius moras, comparato paucorũ dierum cõmeatu, Epicuri mundos peragrato. Terminos igitur Tethyn & Oceanum facilè transuolo. In nouum autem mundum, & quasi in aliam ciuitatem ingressus, cuncta paucis diebus metior. Illinc iterum

rum transcendo in tertium mundum: postea in quartum, & quintum, & decimum, & centesimũ, & millesimum, & quò tandẽ usq; ? Omnia enim iam mihi ignorãtiæ tenebræ sunt, & nigra fraus, & infinitus error, & imperfecta cogitatio, & incomprehensa inscientia: nisi ipsas etiam atomos numerare uelim, è quibus tot mundi orti sunt, ut nihil inexcussum prætermittam, præsertim res tam necessarias & utiles, unde & domus & ciuitatis felicitas pendet. Hæc itaq; enarraui, ut contrarietatem quæ in eorũ opinionibus est pate facerem, & inquisitionem rerũ quam suscipiunt, in infinitum uagari, & nullo termino contineri, eorumq; finem esse inexplicabilẽ atq; inutilem: quippe quod nulla re euidenti, & ratione perspicua confirmetur.

FINIS.



VERSVS

I 4

VERSVS IN GRATIAM D. Georgij Hermanni, Senatoris Regij, ſcripti ab Hieronymo Vuolfio.

TAm citò nos uſura breuis cum deſerat æui,
Nemo poteſt tutus ſpernere tela necis.
Sed ſapientis opus, nec ineuitabile fatum
Temnere, nec trepida mente timere nimis.
Quæq; dies ſecum fert mille pericula mortis,
Sæpius incautos perbreuis hora rapit.
Sæpe etiam iuuenes pereunt, & pluribus annis
Vita manet ſenibus penſa uel ipſa ſuper.
Ergò quid in rerum dubia tam ſorte ſequemur?
Quid nos præſidij, quo tueamur, erit?
Omnia diuinæ fidei mandabimus: idem
Qui dedit, hic repetet tempore cuncta ſuo.
Mandatis parêre Dei ſit proxima cura:
Huic ſtudio uigiles addito quiſq; preces.
Tertia ſe comes his prudentia iungat, ut omnis
Sors nos inſtructos protinus inueniat.
Hæc ratio uitæ ſapiens, & tuta, Deoq;
Grata, nec hoſtiles eſt ſubitura dolos.

Philoſophia eſt mortis meditatio.

Aſsiduum ſapientis opus, meditatio mortis,
Dum mens in tetro carcere clauſa manet:

Mors

Mors hæc non laqueos gladiosq́ue ferociter audet:
Quippe uel immanes dedecet ista feras.
Nam sumus in statione Deo mandante locati,
Quam ducis iniussu deseruisse nefas.
Sed mors hæc sensus grauis aspernata rebelles,
Nititur æternæ sedis adire domos.
Hæc mors non perimit mortalia membra, sed optat,
Vt ducis imperium mandet abire citò.
Sin iubeat remanere diu, non abnuit unquam,
Delatumq́ue sibi munus obire studet.
Sic tamen ut corpus terrena negocia curet,
Auxilio mentis sæpe ferentis opem.
At mens ipsa Deo coniuncta, polosq́ue pererrans,
Spernit humū, pedibus quæque caduca premens.
Hac ratione datur sæuam contemnere mortem,
Hac ratione licet uiuere more Dei:
More Dei, quantum compages terrea mentem
Non uetat æthereа commoditate frui.

Lucerna Georgij Hermanni.

Λύχνος ἐγὼ παρέχων ἑτέροις φῶς, αὐτὸς ὄλωλα,
σβεννύμενος συνεχῶς δηλοσιώνῃσι φλογὸς.
Σβεννύμενος δὲ ζῶ, σέλας αἰθέρος εἰσαναβαίνων,
Δῶρα λαβὼν πιστῆς ἀγλαὰ ὑπερεσίης.

ALIVD.

Lux alijs facit esse diem mea, sed mihi noctem,
Dum me paulatim noxia flamma uorat.

Parua tamen magnis liceat componere: Phœbi
Exequor officium, dum lauat ille mari.
Malo equidem lucens uanescere, quàm sine flāmis
Obscura in longos delituisse dies.

ALIVD.

Luce mea tenebras alijs fugo, noctis in umbra,
Cum me uel medio deserat hausta die.
Nec de sorte mea queror: hoc quia fata tulerunt,
Vt nihil in terris perpetuum esse queat.
Quin potius lætor, quod magnos affero fructus.
O miseros, alijs qui nocuisse student.

ALIVD.

Luceo perpetua non segnis & ardeo flamma,
Dum me qui foueat pinguior humor adest.
Quem simul exhausit totum diuturnior ignis,
Nocte repentina lux mea uicta cadit.
Aequa mente fero sortem, solatia quærens
Eximia fidi laude ministerij.

ALIVD.

Cur doleam, mea lux, si tandem lapsa fatiscit,
Nempe redaccendet quam Deus ipse polo?
Dum fidei teneo pius indelebile lumen,
Nulla tenebrarum lædere damna queunt.

Lucerna

Lucerna ~~Hieronymi Vuolfij.~~

Fax quoq; nostra suo splendescere cœperat igne,
(Parua quidem) & radios fundere læta suos.
Nunc subito extincta est. Oleum quũ deficit, aura
Quamlibet exiguo flamine deijcitur.
Sed fortaße queat rediuiua ardescere flamma,
Denuo Palladia si foueatur ope.
Sin ita neglectam Mecœnas spernere perget,
Obruta perpetuis mœsta iacet tenebris.

ALIVD.

Disce pati, bene disce mori: sic uiuere disces,
Viuere ut edoctus noris obire diem.

~~Ioannis Strigelij~~ uersus, eiusdem argumenti.

Vt cerata suo candela absumitur igne,
Dum præbet nitidam pluribus una facem:
Sic ego defungens suscepta munere sortis
Atteror officij sedulitate mei.

Vt lucens alijs ipso depascitur usu,
Dum iacit accensam cerea teda facem:
Sic ego dum fido susceptas pectore curas
Sustineo, studij mole senesco mei.

Vt candela ardens ipso consumitur usu,
Attenuor studij sic pietate mei.

Vt lucens proprio fathiſcit igne,
Dum candela alijs facem miniſtrat:
Sic donans alijs meos labores,
Attritus uigili ſeneſco cura.

Vt facem ardentem ſuus haurit ignis,
Sic mei me urgens pietas laboris
Frangit, obrepit mihi res agenti
Cana ſenectus.

Vt fax ſuis à flammulis
Pereſa ſenſim deficit:
Sic me meus terit labor,
Dum nil nego nẽgocijs,
Vires agendo deſtruo.

FINIS.

173

BASILEAE, PER Ioannem Oporinum: Anno Salutis humanæ M. D. LIII. Mense Martio.

F S.